

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pauli Manutii Epistolarum Libri XII

Manuzio, Paolo

Lipsiæ, Apud Johann. Herebord. Klosium, Anno 1707.

VD18 11417161

Lib. V.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)

EPISTOLARUM

PAULI MANUTII

Lib. V.

EPIST. I.

Scripsit hanc, liberalium disciplinarum nomine.

PIO IV. PONTIFICE CREATO.

Per Prosopoeiam inducit Disciplinas liberales gratulantes Pio IV. de Pontificia dignitate, laudatisque ejus virtutibus ipsum rogantes, ut sui patrocinium suscipere velit.

CUm tibi, Pontifex optime, ad istam dignitatem nuper divinitus elato, quā sublimius aut praestantius inter homines nihil est, mortales quā plurimi, alii absentes literis & nunciis, alii coram vultu & verbis gratulentur: non dubitamus, quin nos quoque; altrices tuas, in maximo gratulantium numero ad tuos sanctissimos pedes officiosè projectas, excipias; & eo benignius, quòd alii, quia pervenisti ad eum finem, infra quem ceteri fines sunt, gratulantur; nos autem, quia scilicet, ut pervenire posses, ipse perfecimus. Non est ad gloriam lata, quādam & communis via. Per-
angu-

angusta fuit semita paucorumque notata vestigiis,
evaserunt & heroës illi veteres, in Christiana mili-
tia fortissimi viri; & maximè quidem omnium, pa-
trum nostrorum memoriâ, Pius ille Pontifex, cujus
tu nomen, in eadem sede meritò collocatus, & cum
nomine virtutem refers. In istam olim semitam,
ferentem ad æternum decus, nos te puerum ad-
huc, sed puerum præclara cupientem, manu pre-
hensum duximus: neve quis te error avertere, ne
qua morari posset offensio, cupidè procedenti qua-
si lumen prætulimus. Confectum jam iter est: ul-
trâ, quo progrediaris, non habes. Inter te, & opi-
ficem æternum, cujus ministræ nos sumus, nulla
jam interjacent humana. Quare, quoniam eò te
perduximus, quo sine nobis pervenire felicitatis
non est; & quando de longâ via ita fessas esse intel-
ligis; ut consistere vix possimus; redde præmium
benè merentibus: & permitte nobis, ut in tua be-
neficientia nixæ conquiescamus. Nam, si tibi Deus
Optim. Max. hoc elargitus est, ut in omni tua vita,
præter rectum & honestum, nihil spectares, quis
te laudabiliter antea cogitasse probaverit, nisi
nunc, cum est ad voluntatem adjuncta facultas, id
ipsum, quod cogitasti, re perficias. Si te ambirio
delectaret; proponeremus illa inania, quibus ii,
qui ex hominum sermonibus pendent, excitari so-
lent: fore, si nos jacentes erexeris, ut orbem terra-
rum tui nominis fama pervagetur: ut oratorum &
poëtarum de te prædicantium vocibus aures tuæ
personent: denique, ut imaginem tuarum virtu-
tum, æternis excellentium virorum scriptis expres-
sam,

sam, ipsa posteritas intuens, cupiat imitari. Speciosa ista videntur: & sunt omnino: sed à splendore tamen vera laudis absunt. Nam, rectè facere, non ex iis, quæ consequuntur, sed ipsum per se sapientibus viris amabile videtur. Qui cum innocenter sancteque vivunt; minimè illi quidem de præmiis cogitant: ne probitas mercenaria videatur; aut, si cogitant, non ad hæc humana, quæ sunt locorum & temporum angustis sanè terminis circumscripta, oculos demittunt; sed ad illa divina suspicientes, beatam immortalemque vitam & expetunt unam, & unam expetendam esse persuasum habent. Hoc tu semper institutum probasti: probavit Paulus ille, III. omnium seculorum memoriâ celebrandus: qui de humano genere vel hoc potissimum nomine optimè meritis existimatur, quia in suo Pontificatu effecit, ut tu Pontifex esse posses: probarunt, hodieque probant sodales olim aliquot tui: quorum alii, non ut vulgò vocantur, mortui, sed, ut sapientes propriè loquuntur, mortali vitâ liberati, nunc incolæ cæli, Deoque fruenter, non tam, quia te Pontificem intuentur, gaudent, quam quia facturum ea prospiciunt, quæ sunt optimo Pontifice dignissima: alii vero, nondum sanè ab hac terrestri materia discreti, aut simplicem naturam assecuti, sed ita tamen in terris commorantes, ut bonitate simplices animos referant, non dubitamus, quin tibi nostram causam unanimes commendent; & eo studiosius, quòd, & ipsi alumni nostri cum sint, officio non solum laudabili, verum etiam debito fungentur. Satis jam exagitata, satis inopiam & solitu-

litud
 glect
 hone
 Pius
 berr
 vimu
 atq; i
 perbo
 quam
 id ip
 bene
 hoc il
 feret.
 colen
 lunta
 Ponti
 spicio
 tà tua
 vimus
 dam p
 rum fi
 fallun
 Non
 ptus,
 item,
 cupid
 mur:
 ob offi
 delem
 rigion
 dices

litudinem passa, ab omnibus ferè Principibus neglecta, supplices ad te confugimus: quid petentes? honestum otium: à quo petentes? à Pio Pontifice. Piusne ille noster, cujus animum ac mentem saluberrimis præceptis ad omnem laudem conformavimus atq; effinximus; cui comites in omni ætate, atq; in omni fortuna non solum jucunda, sed etiam perhonorifica fuimus; qui ut hoc tempore plus, quam omnes homines prodesse nobis unus possit, id ipsum à nobis habet, isne nos, aliquam tanti beneficii gratiam reposcentes ab sese rejiciet? non hoc illius natura, non doctrina, non consuetudo feret. Sin sane mutabiles eorum animi, neq; satis incolenda virtute sibi consent: sit enim sæpe, ut voluntates simul cum fortuna commutentur: in te, Pontifex optime, non cadit hujus inconstantia suspicio: tua est bene agendi perpetuitas: nihil in vita tua varium, nihil flexibile, nihil missum cognovimus: semper idem tibi, semper directum quiddam placuit, & simplex. Non te rerum humanarum ficta & fucata forma, non illa, quibus plerique falluntur, insidiosæ voluptatum illecebræ ceperunt. Non tu in tabula picta, inani colorum specie captus, oculis immobilibus hæsisisti. Non sericam vestem, non argumentum vas, non aurata tecta paulo cupidinis adspexisti. Denique, ne singula persequamur: cum pleriq; hominum sive gratia, sive metu ob officio deducantur: nunquam te vel ita gratia delenivit, vel ita metus deterruit, ut pietatem religionemq; desereres. Quid mirum? Virtutum re-
dices non ita leviter bonorum in animis inhzrent,

ut eas evellere aut commodi spes, aut periculi dubitatio possit. Quare tuæ consuetudinis & constantiæ memores, non petimus à te, ut aliquid agas nostrâ causâ, quod cum egeris, non consentire cum tuis superioribus factis videatur; sed id petimus: quod à te non modò ipsa res, sed etiam consuetudo tua postulat: ut in vetere illo tuarum actionum laudabili cursu pergas. Quod cum facies facturum enim, quia te novimus, non dubitamus) completis nos eodem studiò, quò ipsa te aluimus; & in eum locum restitues, unde nos adversariæ nostræ, inicitia simul & avaritia, comites perpetuæ, detrulerunt. Vale.

CAMILLO PALÆOTTO, BONONIAM.

EPIST. II.

Respondet gratiarum actioni Palæotti, cuius in Epistola quadam excusatoria honorificam mentionem fecerat; adductaq; causa, cur epistolas suas edendas curârit, rogatus sibi ignoscat; quòd ipsum fortè decoloravit; Et cum scripius ab ipso Bononiam invitatus sit, se eò aliquando advolaturum, promittit.

Form. Significare, nos illius, ad quem scribimus, memoriam sanctè conservare: Epistola tua. (A)

Form. Gratum animum polliceri. Ibi. Nihil curasse diligentius, quàm ut me tui cupidissimum, tuorumq; officiorum si non referenda, quod opinor vix fieri posse &c. (B)

Form. Enteri tenuitatem suam. Nam eo, quæ tibi vel natura tribuit, &c. (C)

(A) Epist.

(A) I
am n
mani
reno
rus e
affirm
à qv
meju
me t
refer
men
Qvo
dele
te m
cum
tum
um:
no q
null
scrib
men
neg
(latè
qvas
(nar
sus e
vi m
tur,
tibi
mih

(A) **E**pistola tua suaviter, amanter in primis, eademque elegantissime conscripta, memoriam mihi nostrae consuetudinis, tuæque virtutis & humanitatis, vehementer auxit. Non enim dicam, renovavit: qui te mihi, & ea, quibus omnibus carus es, ex animo nunquam excidisse, verè possim affirmare. Sic enim velim existimes, nihil unquam, à quo primum die mihi cognitus es, aut cogitasse me jucundius, (B) aut curasse diligentius, quàm ut me tui cupidissimum, tuorumque officiorum, si non referendâ, quòd opinor fieri vix posse, habendâ tamen gratiâ memorem, atque gratum agnosceres. Quod si sum assecutus, mirificè lætor: sin minùs, delector tamen studio meo; & ipsâ etiam voluntate mihi, utinam tibi quoque, satisfacio. Equidem, cum illa, quæ te video animadvertisse, ad Muretum scripsi, notum ei esse volui iudicium de te meum: ipse verò ut ea aliquando legeres, vel ut omnino quisquam, fore non putavi. Postea, cum à nonnullis, bonas videlicet horas malè collocantibus, describi epistolas meas audirem; veritus, ne quando mendosius, etiam impressæ, quàm à me scriptæ, vel negligentiae culpâ, vel fortasse etiam improbitatis, (latè enim patet hoc vitium) ederentur; collegi quas potui; emisi, non quas probavi maximè, (nam huius generis inopia certè me ab omni prorsus edendi consilio revocasset,) sed quas improbaui minimè. Ex eo numero fuit ea, quæ de te loquitur, vel potius balbutit epistola. (C) Nam ea, quæ tibi vel natura tribuit, vel adscivit industria, vix aut mihi liceat, aut iis etiam, qui plurimum eloquentiâ valent

valent, non modò literis familiariter scriptis, sed nec elaboratà oratione complecti. Quare non ego, mihi ut agas gratias, exspecto, quòd te tanquam pictor bonus illustraverim; sed potius, quòd quasi decoloraverim, ut ignoscas, rogo. Quod quidem si te probè novi, impetrabo facillè vel à sapientia tua, vel ab humanitate; quarum altera facit, ut ab una totus virtute pendeas, de sermonibus hominum non labores: altera, ut nihil unquam à te non modò amici, & familiares, sed nec alieni frustra petant. Amoris in me tui, licet minimè necessaria, per jucunda tamen commemoratio fuit. Cui quidem amori, vel si absint officia, deberem plurimum: quid putas, cum & accesserint jam merita non vulgaria, quæ nulla mihi ex animo dies evelleret, & ea tamen aliis cumulare ita studeas, ut in beneficio dando beneficium videaris accipere? Vel hoc ipsum, quòd me tam crebrò, tam diligenter, tam amanter Bononiam invitas, quantam habet significationem benevolentia tua? quæ si mihi omnia, cominoda, omniaque ornamenta, nihil tamen afferet, mihi crede, se ipsa carius: nihil, quo gaudeam, ac triumphem magis. Ad te verò, quem videre ita cupio, ut cupiditate etiam tua vehementius incendar, noli dubitare, quin ad volem, cum primum per anni tempus, & ut spero, per valetudinem licebit. Nam frigore vires imminutas tepor vernus, & cæli purioris aspectus restituet. Interim, si quid scire vis de rationibus meis, eo loco sunt, ut mihi, in summi animi æquitate, abesse potius multa, quàm deesse videantur. Vigemus amicis:

cis:
exist
Ocul
optim
liqua
prop
pluri

sibi ex
quoti
literis
ratur
rander

ni. A

primi

A M

pute

cet d

dè ja

corda

fecer

ad an

grata

cis:

cis: quòd nihil optabilius, exceptà sapientià, & ego existimo, & tu quoque, ut video, mecum sentis. Oculis, quibus agrè diu fuit, nunc quidem utor, optime, viribus autem corporis non pessimè. Reliqua in congressum nostrum reservabo. Vale, & propinquo tuo Francisco Bononietto salutem à me plurimam. Venetiis.

OCTAVIANO FERRARIO, MEDIOLANUM.

EPIST. III.

Resp. Consolatoria Epistola Ferrarii, & illi dolorem sibi ex filii obitu acceptum levare scribit. Deinde optat quotidiana ejus consuetudine uti: quod quando non licet, literis se cum ipso collocuturum promittit. Denique hortatur ipsum, ut in scribendo totius hareat, & scripta sua tandem in lucem edat.

Form. Locum dandi alicujus admonitioni vel petitioni. An ego te non audiam? &c. (A)

Form. Optare alicui prosperè. Nunc, si est, ut optimè valeas &c. (B)

A Mor inter nos mutuus, meaque de tua virtute opinio facit, ut mihi nihil esse committendum putem, quod à tuis consiliis abhorreat. Itaque, licet dolorem meum, ex interitu filii susceptum, valde jam & ratio ipsa, & communis conditionis recordatio levaret; vix tamen credas, quantum profecerint literæ tuæ. (A) An ego te non audiam, cum ad animi vocor æquitatem? te inquam, cujus mihi grata semper voluntas, gravis auctoritas & fuit, & esse

esse debet: quem dilexi unice à prima adolescentia, quem respondere in amore, ac studio facile perspexi. Quod utinam, quam diu sejuncti fuimus, una vivere licuisset: essem omnino tua consuetudine melior, & doctior: tui autem ex officiis meis fortasse aliquam, ex benevolentia certè in te mea non dubito, quin maximam voluptatem, lætitiāque cepisses. Quod quando non contigit; usus essem, pro mea quidem parte, literarum bono; nisi me non tam occupatio mea, quàm tua valetudinis infirmitas, cui laborem imponi meā causā nolui, à scribendo retardasset. (B) Nunc, si est, ut optimè valeas; quod ut credam, adducor non solum crebritate, verum etiam subtilitate, atque elegantia epistolarum tuarum: gaudeo: quodque habes ex animi tui sententia, id ut perenne, propriumque sit, vehementer cupio. Literis, ut amissi temporis usura sarciat, colloquemur interdum. Nec deerit argumentum, si tibi placuerit idem quod mihi, *φιλολογεῖν* de studiis nostris, quibus uberius nihil est. Atque equidem, (ut à privatis ad publica divertam) quando *χαρακτης* tuus ejusmodi est, ut ab recentiorum philosophorum inquinato sermone longissime distet: auctor tibi sum, ut in scribendo totus hæreas. Nimirum diu comprimis ea, quæ se læta habes; quæ scio quàm sint præclara, in omni genere doctrinæ. Ede, & auge utilitatem nostram cum gloria tua. Nam hic liber, qui propediem exhibet, de Disciplina encyclo, studia multorum accendit, quibus à te satisfieri æquum est. Quam verò in ejus libri editione diligentiam exigis, ea præ-

stabi-

stabi
poli
das a

L

nerit
jus Ep

tem p

prom

SA
Ste

tum,

ad no

hil er

ferm

tum

hujus

scrip

la tu

dem

And

quan

ut un

Omne

stabitur, quatenus licebit. Torum enim in uno me
positum non esse, aut jam scis, aut mihi velim cre-
das affirmanti. Vale. Venetiis.

LÆVINO TORRENTINO, LEODIUM.

EPIST. IV.

*Primò dicit permolestum sibi fuisse, quod ad se non ve-
nerit, sed molestiam illam absterfisse eleganter scriptam e-
jus Epistolam.*

2. Oden ejus in Pium IV. P.M. laudat & ad faculta-
tem poeticam ipsum hortatur.

3. De Garisto edendo operam suam Cauchis fratribus
promittit, ut & de Censorino & Prudentio.

Form. Rogo me ames. Quod reliquum est. (A)

Sanè permolestum mihi, pro meà summa erga
te benevolentia, contigit, quod tuorum comi-
tum, ut ais, importunitate factum sit, ut veniendi
ad nos susceptum antea consilium deposueris. Ni-
hil enim potest esse jucundius, quàm tui suavitatem
fermonis, tuamqve mirificam tum humanitatem,
tum etiam doctrinam ex intervallo regustare. Sed
hujus incommodi molestiam ferè absterfit omnem
scripta peramanter, atq; adeò pereleganter episto-
la tua, quam mihi heri reddidit familiaris meus, i-
demq; tui studiosissimus, planè juvenis eruditus,
Andreas Sylvius. Oda verò in Pium Pontificem,
quam epistolæ adjunxeras, ita mihi placuit, nihil
ut unquam legerim libentius, æqve libenter pauca.
Omnino, mi Lavine, cum ad omnem excellenti-
am,

am, tum verò ad hoc scriptorum genus ingenio te-
 natura finxit aptissimo. Itaq; nosce tua bona, poë-
 ticamq; facultatem, si tuæ gloriæ consultum vis, ne
 dimitte. Carisum quo die primum vidi, ut edere-
 tur, optavi. Idq; planè Cauchis adolescentibus,
 consilio tuo commotis, & communium audiorum,
 & sanè ipsorum etiam causâ gaudeo. Aliquid enim
 ad eos ex paterna laude reduntabit, & aperietur
 fortasse aditus ad gratiam principis viri, missò, ut
 mos est, librò cum eorum epistolâ. Putabam fore,
 ut Romæ liber ederetur. Si Venetiis malunt: no-
 stra, quæcunq; est, industria non deerit: quæ con-
 ditione, & quo tempore, scripsi ad optimum vi-
 rum, Octavium Panthagathum. De Censorino &
 Prudentio mox videbimus. Non enim tam facilè,
 quod præstare non possum, soleo promittere, quàm,
 cum promisi, diligenter præstare. Premor autem
 oneribus multis, quæ sustinere cogor in aliquot
 menses: adjicere si velim, nec honor meus, nec
 res domestica patietur. (A) Quod reliquum est, a-
 morem in me tuum cupio conserves: quod erit
 humanitatis. Ego, quod erit officii, te colam di-
 ligentissimè; deq; ingenio tuo, de doctrina, de pro-
 bitate quid sentiam, ut ipse aliquando intelligas,
 quod hic, mihi crede, jam intelligunt multi, ope-
 ram dabo. Vale, & Cauchos fratres, moribus, ac
 literis ornatos, meo nomine salvere plurimum ju-
 be. Venetiis.

cau-
 à M
 ipse
 r. an
 dini

adh
 F
 nere

Q
 aud
 oper
 equi
 mea
 dign
 mur
 cun
 drea
 disci
 scrib
 testi
 cutu
 inter
 & cu

te
oë-
, ne
ere-
ous,
am,
nim
ur,
ut,
ore,
no-
on-
vi-
o &
cile,
am,
em
ot,
nec
t, a-
it,
di-
ro-
as,
pe-
, ac
ju-
PE-

EPIST. LIB. V.
PETRO MISCOVIO.

307

EPIST. V.

Excusat se de gratiis serò per literas actis, & quibus causis adductus scribat, exponit. 2. Excusationem silentii à Miscovio allatam, non se expectasse scribit. 3. Gratulatur ipsi de valetudine recuperata. 4. Hortatur ipsum ad tolerantiam laborum pro patria susceptorum, quam consuetudini librorum esse præferendam docet.

Form. hortandi. Quid ego te doceam, nihil, quod ad honestum pertineat, ignorantem? (A)

Form. Excusandi literarum prolixitatem: Quo in munere versanti, &c. (B)

Quod à me postulari videbatur, ut tibi, de studiis meis non pessimè existimanti, (sic enim audiebam) per literas gratias agerem, in eo dedi operam, ne desiderari posset officium meum. Atque equidem restiti non nihil à principio cupiditati meæ, veritus, ne prudentis hominis non esset, ista dignitate, ista virtute virum, cui nullum à publico munere tempus vacet, appellare literis: sed meam cunctationem viri optimi, atque eruditissimi, Andree Patricii, omnia de humanitate tua pollicentis, discussit oratio. Scripsi igitur ad te, non, ut tibi rescribendi onus imponerem, sed, ut, quoad possem, testificarer observantiam meam. Quod si sum affectus, & si tu, quanti faciam iudicium de me tuum, intelligis; ita lætor, quasi bona omnia contigerint, & cum hac mea voluptate vix puto voluptatem ullam

iam posse conferri. Quòd autem silentium etiam tuum excusas, & ea commemoras, quæ te à scribendo antea retardarunt: hoc equidem à te nunquam expectavi; à quo libenter legi meas literas, de quo dubitare mihi non licuit, satis superque habui; sed quo expectavi minus, eò scilicet magis agnosco, quæ constanti omnium sermone prædicatur, benignitatem tuam. Gratulor autem, ut debeo vehementer, & te à febre convaluisse, quæ laborantem in reditu suo Patricius offendit; & exitiali illâ lue provinciam esse liberatam. Occupationes tuas puto, & audio gravissimas esse; sed leviores sunt gloriæ fructu, quem tu quoridie percipis, tuis debitum virtutibus, amplissimum. Porro, quàm sit homine dignum, de multis, ac, si fieri possit, de toto hominum genere bene mereri, (A) quid ego te doceam, nihil, quod ad honestum pertineat ignorantem, quem ita semper ad decus natura impellit, ut omnia tamen consilia, omnes actiones ratio, & sapientia moderetur? Quare, istis curis, istis laboribus, quos esse tuæ laudis segetem, ac materiam video, ignosce, obsecro, Miscovi humanissime, si te ferò admodum cupio liberari. Nam, quod ad studia literarum attinet, id est, ad eum animi cultum, unde oritur artium ingenuarum præclara cognitio: primum, cum tua habeas jam, quæ petuntur à literis, & cum eloquentiæ doctrinæque ex superiorum temporum vigiliis excellas; non intelligo valde esse, cur labores: deinde, tantine putas librorum consuetudinem, aut ullum cum ulla doctrina commercium, quanti difficillimis temporibus, in-

sum-

sum
quis
re?
ut l
tass
dur
obl
ved

illi
ob
q.
dux

for

M
Ad
car
ita
ex
cu
qu
eg
vo
Qu
hu

summa bonorum, & sapientium civium inopia, requirenti consilium, operamq; tuam patriæ subvenire? (B) Quo in munere versanti, non committam, ut longiore molestus epistolâ sim: & hæc ipsa, fortasse nimis multa, amori largieris in te meo: cui dum obsequor, teqve colloqui præsentem videor, oblitus occupationis tuæ, memor humanitatis, proventus imprudenter sum. Vale. Venetiis.

ANDRÆ PATRICIO.

EPIST. VI.

1. Latetur se à Patricio literas accepisse, & 2. vicissim illi suum in rescribendo officium pollicetur: quod hætenus ob causas dilatum excusat. 3. Gaudet se ab illo amari. 4. Gratias illi agit, quod se in Miscovii amicitiam perduxerit.

Form. Agendi gratias. Tibi autem &c. gratias tuo fortasse merito pares habere possum &c. (A)

MI Patricii, non te fugit, morosos esse, qui amant. Quo me vitio laborare non inficio. Adspectu, & consuetudine præsentium amicorum carere non possum. Si absunt, igniculum desiderii ita non fero, ut literas ab iis exigam potius, quam expectem. Hinc illæ interdum, vacuæ prorsus iracundiâ, quæ abest à natura mea, amoris plenissimæ quærelæ. De quibus audisse te aliquid gaudeo: ut ego quoque in quærela tua mutuam erga me benevolentiam, quâ nihil habeo carius, agnoscerem. Quod equidem latari te quoq; arbitror. Quæ enim humanitas tua est, certè totus abesse non vis, nec

eiusmodi tuum in discessu consilium videbatur. :
 nec nos, qui longinquum memoriâ colimus, dili-
 gimus, laudamus, digni videmur, quibus nullam
 suavitatis ingenij; tui partem restituas. Officium
 autem in rescribendo meum, non committam, ut
 desideres; nec desiderari antea passus essem, si lite-
 ras tuas, à me vehementer expetitas, quas misisse,
 te significas, accepissem. Provocassem etiam mihi
 crede, pro meo in te singulari studio, si vacassem, &
 si vacare te ab iis negotiis existimassem, quorum
 onera gravissima, vigilantibus, & magna prae-
 virtute viris, id est, tui simillimis, imponi æquum
 est. Quod ais, omnia te conferre ad dignitatem
 meam; dupliciter gaudeo, & quòd me ames, (quan-
 quam hoc antea perspexeram,) & quòd id ex offi-
 ciis erga me tui homines intelligant: id quæ non
 mediocriter ad existimationem meam statuo per-
 tinere. Mis ovii quidem in benevolentia, cuius ha-
 beo testem, refertam humanitatis, elegantissimam
 epistolam, scito me omnia ponere: eamque ut vide-
 or summo hominis beneficio consecutus, ita trium-
 pho, quasi nihil jam adversi à virtutis adversariâ for-
 tunâ possit evenire. (A) Tibi autem, qui mihi ad
 amicitiam viri anti aditum patefecisti, gratias tuo
 fortasse merito pares habere possum, & habeo sanè
 quàm maximas, referre certè nullo modo possum,
 ac ne agere quidem: quod tamen humanitas tua
 non ferret; & si ferret, quæ mihi unquam, verba, ab
 intimo licet artificio deprompta, satisfacerent? Va-
 le. Venetiis.

STANISLAO VOGELVETRIO,
PATAVIUM.

EPIST. VII.

Querela de non acceptis literis ab amico, ad quem quaternas scripserit. 2. Respondet gratiarum actioni & laudationi Vogelvetrii, quem car amet, subjungit.

Form. Laudem non agnoscere. In quo probari. (A)

ME quoque torquet expectatio è literarum; de quo mihi, me quidem invitò, tamen adversa quædam amor fingit. Nec enim adduci possum, ut oblitum nostri, aut parum in colendo officio diligentem existimem; qui & humanitate omnes vincat, & quaternas jam à me literas acceperit. Utinam valeat, atque in illis negotiorum fluctibus utatur secundis ventis: reliqua feremus faciliè, eademque absenti benevolentia perpetuò præstabitur. Cum literas Italicas meas ad te misi, nihil scripsi, ne tibi rescribendi, præsertim de re minima, onus imponerem. At tu, gratiarum actione non contentus, etiam me laudandum putasti, & iis quidem verbis, nihil ut esse possit illustrius. (A) In quo probavi vehementer elegantiam ingenii tui: in judicio, nisi me ipse diligam, desiderare aliquid cogor. Aliquid autem? planè hoc totum, mi Vogelvetri, humanitati tuæ tribuo; de qua tamen ipsa valdè te amo: ac velim existimes, te mihi hæere in animo, tum tuâ sanè causâ, cui neminem probitate, ingenio, studio bonarum artium antepono; tum quòd in uno

te nonnullam Patricii, ac etiam imaginem videor agnoscere. Idq; tibi aliquando fortasse, Minervâ, ut spero, non invitâ probabo. Vale. Venetiis.

DIONYSIO LAMBINO.

EPIST. VIII.

Scribit, gratas sibi fuisse Lambini literas, eumq; hortatur, ut industriam, quam in Aristotelis libris studijs posuit, ad alia quoq; conserat. 2. Rogat ipsum, ut sibi Card. Turnonii gratiam conciliet.

Form. optandi felix iter. Si navigatis in Galliam. (A)

NOli existimare, mi Lambine, cum fructu consuetudinis tuæ caream, quidquam mihi tuis epistolis esse jucundius. Facit hoc sanè, qui mutuus inter nos amor est, ortus à meo de tuis virtutibus iudicio; tuâ verò de meis ad eandem laudem conatibus opinione, fortasse non nullâ: sed scriptorum etiam tuorum subtilitate, & elegantia mirifice delector. Vel hæc, quam accepi idibus Junii raptim à te, ut video, exarata epistola, quam loquitur pure, quam nullis illustrata pigmentis, nullo, ut tu scribis, fucò, tamen nitet. Itaq; nihil unquam legi libentius. Quæsieram autem per literas à sororis meæ filio, Julio Catone, ecquid parturiret ingenium tuum. Non tam, ut meæ, quæ summa est, quam ut eorum, quid à me adeunt quotidie, cupiditati satisfacerem. Scito enim, admirabilem hic esse quandam de studiis tuis opinionem, cum è sermonibus meis, eximia sapè tua cum laude habitis, tum verò ex illa præstanti industria, quam in convertendis Ari-

Aristotelis de morali philosophia libris ita collocasti non modo, ut eorum, de quibus diu bona hominum existimatio fuit, errata patefaceres; sed ut ipse maximam & iudicii, & mihi quidem, ut videtur, qui ea cum Græcis diligentissimè contuli, eloquentiæ laudem ferres. Quod à te institutum retineri, & eandem operam ad reliqua conferri, si quis est, qui valdè cupiat, ac te etiam tacitâ sæpe cogitatione hortetur, is ego sum. Publica, fateor, me mover utilitas, cui te video Græcæ, ac Latinæ linguæ peritissimum, præterea instructum iis artibus, à quibus perfecta intelligendi, ac judicandi ratio manat, unum in primis posse consulere: sed mehercule etiam gloriæ tuæ pro amicitia nostra vehementer faveo. Vides enim profectò, (quid enim, quod ego videam, tu non perspicis?) paucos omnino ex iis, qui populari fama celebrantur, sine exceptione posse laudari, & hac tanta quotidie exeuntium librorum copiâ impediri potius, quàm adjuvari studia nostra. Quare suscipe onus pro tua parte. Nervos novimus industriæ tuæ: quos si contendere volueris, nihil est, quod sustinere, ac perferre non possis. Nam de Lucretio, suadeo equidem, ut absolvas: poëta est egregius, vel Ciceronis nostri testimonio: & in eo maximam à multis, nec à me ipso minimam gratiam inibis: sed voco te libentius ad illa præstantiora: nec tu meum consilium, atque etiam studium, si modo tibi aut sapere aliquid, aut velle tuâ causâ videor, debes in tua laude contemnere. (A) Si navigatis in Galliam, quod à te scriptum confirmant multi, opto vobis felicem cursum

U s

sum

sum, & secunda omnia: teq; rogo, nisi me ineptum esse censes, & nimis impudenter petere, ut Cardinali Turnonio, Principi sapientissimo, optimarum artium patrono, me in gratiam ponas: quem hic honoris gratiâ salutare, cum maxime vellem, per invaletudinem nunquam licuit. Sigonius, planè, ut ais, vir doctissimus, addas licet humanissimus, cui tu in transverso literarum tuarum versiculo salutem adscripsisti, valde gaudet, amari se, ac laudari à te, de quo ipse honorificè in primis loquitur, & sentit. Is te resalutat amantissimè, eunti q; in Galliam, incolumitatem, & reditum precatur. Vale. Venetiis.

JULIO POGIANO, ROMAM.

EPIST. IX.

Responsio ad Laudatoriam, in qua 1. exponis causas, cur honorificè de ipso sentiat & loquatur, videlicet ob excellentem ejus eloquentiam, & honorificam de se opinionem. 2. Laudem eloquentiæ sibi à Pogiano tributam non agnoscis, sed eam in ipsum Pogianum conjicit, cum quo ne ausit quidem in hoc certamine contendere.

Quam libenter, & quam sæpe de te cogitem. Pogiane doctissime, conscius ipse mihi sum: mea verò quæ sit, ac fuerit semper, ubi temporis ratio tulit, de tuis virtutibus oratio, cum honestos, & graves viros, iis, quibus ipse excellis, doctrinis ex cultos, habeam testes, non conabor tibi literis exponere. Nec tamen aut amori erga te meo, quem fate-

fatec
quan
pra,
præf
illa p
Pont
nun
xit.
nec e
stata
cont
præf
igno
men
de m
fite a
ne, c
cum
geba
nisi t
exce
omn
refer
hum
hom
non
quæ
exim
tem
ampl
quen

fateor impetrare à me posse omnia, tribuere quid-
quam in te laudando velim existimes. Tua me scri-
pta, in quibus excellentem quandam eloquentiæ
præstantiam elucere vidi, maximè verò præclara,
illa pro illustri Rhodiorum Equitum societate ad
Pontificem habita oratio, quam efferre laudibus
nunquam desino, in hanc sententiam facillè perdu-
xit. Accedit humanitas, probitas, opinio de me tua,
nec ea significata obscure, sed æternis ingenii tui te-
stata atque expressa monumentis: ut, si nihil ipse,
contrà quàm adhuc laboravi, memoriâ dignum,
præstem, me tamen ex testimonio tuo posteritas
ignorare non possit; sin aliquid à me sum, tibi ta-
men debeam plurimum, cujus ad eam, quæcunque
de me est, estimationem accedat auctoritas. Quod
fite antea, naturali quâdam animi mei propensio-
ne, & communi erga omnes, qui optimis in artibus
cum laude versantur, officiò, non mediocriter dili-
gebam: nunc, propria cum addantur in me merita,
nisi totus amore flagrem, ac studiò tui, nisi, quam-
excelsò in loco sitam video, illustrari etiam magis
omnium præconiis tuam laudem exoptem; malam
referre gratiam literis iis, quarum consuetudine ad
humanitatem excolimur, & omnino hominem ex
homine videar exsuere. Quanquam, mi Pogiane,
non ita mei dissimilis esse possum, ut agnoscam ea,
quæ tu in illâ omnium elegantissimâ epistolâ, ad
eximia tum indolis, tum etiam virtutis adolescen-
tem Octavianum Magium proximè scriptâ, verbis
amplissimis in me contulisti. Scilicet ego in elo-
quentia magnus, quis, & qua in arte? illâ quidem,
ut

ptum
Cardi-
arum
hic
, per
nè, ut
s, cui
salu-
udari
r, &
Galli-
Vale.

ausas
ob ex-
pinio-
non-
m quo

em-
m-
is ra-
os, &
s ex-
s ex-
yem
fate-

ut res indicat, omnium difficillimâ; ipse autem vix mediocri instructus ingenio, otio certè, sine quo ne summis quidem ingenius valde proficitur, nunquam abundans, adversâ etiam per annos multos modò valetudine, modò fortunâ vexatus. Sed abfuerit nihil eorum, quæ laudem in aliena lingua cupientibus requiruntur: me tamen vobis, qui Romæ in ista luce, summa omnium virtutum ingeniorumque præstantia vivitis, qui pedem quotidiè ponitis in vestigia clarissimorum virorum, qui spiritum ducitis à Romano illo cælo, seminibus eloquentiæ referto, anteponendum esse nunquam duxi; fortasse, ut comparari aliquando possem, operam dedi. Sed hoc quidem nondum contigit: ac vereor; ut contingat unquam. Me enim in hoc studio, quò mirificè delectabar adolescens, rei familiaris occupatio non finit esse diligentem. Etas etiam, nescio quo modo gloriæ cupiditatem, si quæ fuit in nobis, videtur extingvere: quæ sublatâ, non minimum langvescit industria. Contra vobis, ab omni cura expeditis, tibi præsertim, non ætate minùs, quàm ingenio florenti, quotidianum esse cum libris usum, & cum omni liberali doctrina, non ignoro. Quanti verò illud est, quò quidem nos caremus, locorum admonitu excitari ad decus: quanti etiam illud, haurire aliquid posse omnibus horis ex mutuo sermone, præcipue verò ex perennibus illis, uberrimisque optimarum scientiarum fontibus, Octavio Panthagatho, & Gulielmo Sirletto, familiarissimis tuis: à quibus, ut opinor, æquè diligimur: sed æquè tamen eorum doctrinâ frui, per intervalla locorum mihi non licet.

Itaq;

Itaq;
adju
tamin
tus ab
gam,
mutu
prima
omni
te rog
inter
pona
stime
mihi
ra de
differ
proba
sentia
velin
thag;
meis

sibi de
dat.
unam

U

Itaq; tot, ac tantis, quæ suppetunt vobis, destitutus
 adjumentis, tantum abest, ut gloriosi palmam cer-
 taminis audeam sperare, ut hastas etiam non invi-
 tus abjiciam; qui præsertim faciliè futurum intelli-
 gam, ut ad te, quem planè in oculis fero, & à quo
 mutuam mihi tribui voluntatem libenter credo,
 primæ partes in cognitione, & usu Romanæ linguæ
 omnium judiciò deferantur. Quare primum illud
 te rogo, ne mihi tuâ prædicatione, quæ tota, ut ego
 interpretor, ab amore proficiscitur, plus oneris im-
 ponas, quàm mea sustinere possit infirmitas: exi-
 stimesqve non minùs me molestè ferre, si quando
 mihi falsa laus affingitur, quàm nonnullos, cùm ve-
 ra detrahitur: deinde, si ego abs te in mea laude
 dissentio, ne propterea meum in tuâ judicium im-
 probes: quod, ne siquidem ipse prorsus à me dis-
 sentias, immutare, cùm multis jam patefecerim, aut
 velim, aut possim. Vale, & Sirletto nostro, ac Pan-
 thagatho meo, vel potius utriq; nostro, dic salutem
 meis verbis plurimam. Venetiis.

HORATIO URSINO, ROMAM.

EPIST. X.

*Responsio ad conciliatoriam, quâ primum gratulatur
 sibi de amicitia Ursini, & epistolam ejus ad se scriptam lau-
 dat. Deinde laetatur, Ursinum nobilissimâ familiâ ortum,
 unam virtutem amplecti.*

UT video, Magius, amores utriusq; nostrûm, o-
 ptimus adolescens, nec litetis tantum, sed hu-
 ma-

manitate etiam perpolitus, exquisitum ad conglutinandas amicitias tenet artificium. Nam ille me primū, jam antea commotum eā famā, quæ de tuis laudibus percrebuerat, suo testimonio vehementer in tui benevolentiam impulit: deinde, ut integrum officii sui fructum ferres, te quoque de meo erga te studio literis admonendum patavit. Quod et si præter opinionem meam potius, quam contra voluntatem, factum esse confiteor: tamen eo mihi nomine abs te gratias agi molestè ferrem, nisi epistola tua, distincta luminibus ingenii, index amoris in me tui, quò equidem antiquius habeo nihil, omnes animi mei partes ea voluptate perfunderet, ut molestiæ locus esse non possit. Aderat, cum eam attulit Magius, legitque me concedente, semel & iterum Carolus Sigonius, qui quantum judicio, & eloquentia valeat, neque tu, nec, ut opinor, jam ignorat quisquam. Is ornavit ingenium tuum divinis laudibus, me prorsus assentiente: nam quid, Magio, dicam? quæ te, qualem ipse antea in omni sermone prædicaverat, talem vobis videri, mirabiliter ob eximiam in te benevolentiam, fortasse etiam judicii sui causâ lætabatur. Nimirum habet hoc nobilitas, ut, quæcumque se in partem dederit, in signe quiddam præstet. Sed quò libentius de spatio curriculumque majorum plerique deflectunt, eò præstantiorem apud omnes homines & gloriam & gratiam, si qui cursum tenent, assequuntur. Quod tibi gaudeo contigisse: qui, cum multis tum naturæ, cum fortunæ donis abundares, natus in civitate, orbis terrarum olim dominâ, nunc religionis, pietatis, justiti-

justiti
præcla
culis
quasi
nobili
tuis a
Quod
ribus,
nia qu
erint
freti e
Quæ p
tior,
scilice
tunæ
pertin
ditate
tibus
portu
scend
cogita
cæteri
quide
vener
vis, in
posita
quem
in eo
tui.
nemin
narum

Justitiæ domiciliò; ortus ex ea familia, cujus nomen
 præclaris partum & studiis, & factis, multis jam sæ-
 culis per omnes gentes fama disseminavit: tamen,
 quasi hæc ad te non pertineant, id agis, ut una re-
 nobilitet virtus, & quantum honestatis à majoribus
 tuis accepisti, tantum ipse posteris relinquant.
 Quod etsi difficillimum est, præsertim his tempo-
 ribus, cum adversentur multa, & ut vides, ad ina-
 nia quædam, neglecta solidâ gloriâ, mores incubu-
 erint: tamen à te, freti prudentiâ & ingeniò tuò,
 freti etiam constantiâ, summa omnia exspectamus.
 Quæ porrò laudabilior industria, quæ cura præstan-
 tior, quàm quæ in animi cultu consumitur? cum
 scilicet id quærimus, ne quando impendentem for-
 tunæ vim, optimarum artium præfidiò muniti,
 pertimescamus; ne jactemur huc, illuc, vel cupi-
 ditate, vel metu: sed in tantis vitæ quasi tempesta-
 tibus tranquillissimo, ac jucundissimo literarum
 portu perfruamur? quæ qui non videt, nec de adipi-
 scenda virtute, quæ rationis absolutio est, assidue
 cogitat; nã ille eo ipso rationis munere, quo uno
 cæteris præstamus animantibus, indignus est. Quod
 quidem semper sensi: licet, quò contendì, non per-
 venerim. Te & sentire idem, & posse consequi, quod
 vis, intelligo. Quod si de præmiis cogitas, quæ pro-
 posita sint, vides: æternum decus, & bonorū amor;
 quem debes omnibus rebus antepone. Equidem
 in eo summam felicitatem ab adolescentia consti-
 tui. Ex quo quanti faciam amicitiam tuam, quem
 nemini aut probitate, aut studiò liberalium doctri-
 narum audio concedere, facile potes intelligere:
 idq;

idq; ut re ipsâ aliquando experiaris, operam dabo. Vale, & Julium Poganum, familiarem tuum, præstantem omni laude virum, ac Hieronymum Lipomanum, eximia spe summæ virtutis adolescentem, salutes, rogo, meis verbis diligenter. Venetiis.

OCTAVIANO FERRARIO, MEDIOLAMUM.

EPIST. XI.

Excusat se de mora in excudendo libro, eamq; rejicit in pituitam, quâ laboravit. Deinde congeritur de avaritia bibliopole Mediolanensis &c.

Noli putare, me tantum amici tui tribuisse, ut adhuc rem ducerem. Nam, etsi de illius ingenio, doctrinaq; semper optimè sensi, idq; primum literarum tuarum testimonio, post etiam judicio meo commotus: tamen de tuo libro ita judicio, nihil fieri posse non modò eruditius, in quo meam de studiis tuis opinionem æqvavit industria tua, verum etiam elegantius: quod ab excellentibus in philosophia viris, qualem te jam omnes prædicant, hodie non admodum expectatur. Quid igitur obstitit, cur non aggrederer? causam si quæris; de quâ te, si res pateretur, celatum vellem: pituita, repente commota, satis per se molesta, mox etiam, cum tussis accessisset periculosa, moram injecit: biduum jacui, medicò non admissò, accuratâ victûs ratione contentus: in quâ tu quantum ponas, ignoro; ego utilissimam experior. Nunc, quæ supersunt morbi reliquæ, do operam, ut eas depellam

lam.
Filio
tuus
nem
solut
lim f
velis
nem
rem
quod
quân
tudine
tame
quior
fide p
mitt

E
P
litera
ri, q
morb
nesci

E
t
geni
tur,
tate
esse,

lam

lam. Quod eadem, ut spero, abstinentiâ consequar.
 Filio jam, & domesticis omnibus rectè est. Liber-
 tuus, quemadmodum ex paginis, & diebus ratio-
 nem duco, video fore, ut Idibus Sext. aut planè ab-
 solutus ab operariis nostris, aut inibi sit. Itaque ve-
 lim significes, quot ad te ejus exempla, & cui dari
 velis. Chartam probabis: habet enim amplitudi-
 nem, & elegantiam; spero, item reliqua. Mitte-
 rem Joh. Antonio, bibliopolæ vestro; sed homo est,
 quod inter nos dictum sit, paulò ad rem attentior,
 quàm vellem. Nisi remittet aliquid de sua consue-
 tudine, vix puto inter nos posse convenire. Verun-
 tamen quid ad nos? utamur aliò, qui se præbeat æ-
 quio rem in transigendo, deinde bonum virum in
 fide præstanda. Quod totum prudentiâ tuâ com-
 mitto. Vale. Venetiis.

EIDEM, MEDIOLANUM.

EPIST. XII.

*Primò affert causas, cur non cupiat à Ferrario crebras
 literas. Deinde negat ejus librum prius posse typis manda-
 ri, quàm redeat officinæ curator. Tertiò queritur de
 morbo filii, & Ferrarium felicem ducit, qui philosophiæ be-
 neficiis à tot curis sit liberatus.*

EGoverò nihil minùs volo, quàm, nisi vacas, à
 te responderi. Nam, etsi mirificè delector in-
 geniò tuò, cujus imaginem in iis, quæ à te scribun-
 tur, epistolis magnâ sæpe cum animi mei juctindi-
 tate contemplor: tamen, ne me putes in ea hæresi
 esse, quæ ad se ipsam refert omnia, aliorum causâ
 mi-

minimum laborat. Cogito valetudinem tuam: cogito maximarum doctrinarum studia: amicis, & propinquis horæ dandæ sunt: invitat humanitas; pietas cogit: cur ego te ista velim deserere tam laudabilia tamque necessaria, studium ut expleas meum crebritate literarum, quod expleri tamen nullo modo potest? De libro, teneo jam quid velis. Typis quos probas, & charta quâ vis, utemur. Initium fieri ante, quàm redieritis, qui totam officinæ curam sustinet, omnino vix potest. Erat autem in Forum Julii, sui negotii causâ, profectus. Ejus porro diligentiam cum in charta, tum in toto hoc genere utilem, & necessariam esse, sæpe sum expertus. Quò æquius hoc, quidquid spatii interponitur, uterque nostrum ferre debet. Atque etiam ne quid celem, paulò eram conturbatior, agrotante filio, quem te tribus unum habeo reliquum. O mi Ferrari, quantam tu debes philosophiæ gratiam quæ te à tot curis ad jucundissimam vitæ genus abduxit! quanquam fortasse hoc melius; & in agendo positam esse virtutem, ne tui quidem Peripatetici negant. Sed hæc omitto. In pecuniæ permutatione agnosco tuam in me benevolentiam, penè dixi liberalitatem. Quod si arcæ meæ consultum, æquè omnes vellent; quantò mecum ageretur commodius? Nunc mihi crede, secus est, nec me tamen reclamante. Vale. Cruceio, & Capræ salutem plurimam. Venetiis.

JOH

JOH. ANTONIO TURONEO,
URBINUM.

EPIST. XIII.

*Ant. Turoneum, ob vim vi repulsam, patriâ carentem
consolatur, adductis paucis argumentis, quæ ad hominis in
exilio degentis dolorem leniendam facere possint. Dein-
de refutat ea, quæ à specie Urbis, à consuetudine amico-
rum, ab utilitate aliqua peti posse videbantur. Tertiò
si patriâ carere nequeat, spem ipsi facit fore, ut operâ a-
micorum possit restitui; inter quos recenset Rosarium quen-
dam, qui plurimum possit. Calvinum excusat propter se-
nium: Se propterea, quòd publica parum frequentem
testimonium verò eruditionis & eloquentiæ se ipsi perhibi-
turum pollicetur.*

SI quisquam est, qui ex adversâ bonorum viro-
rum fortuna sollicitudinem capiat; eorumque
mederi studeat incommodis: eum ego me esse pro-
fiteor. Sed, cum ad opem ferendam nihil mihi
suppetere præter voluntatem intelligo: sic afficior,
ut me ipsò miseriùs esse nihil putem. Quod si an-
tea sensi, certè id in tuo potissimum casu mihi con-
tigisse, nisi vel meam consuetudinem ignoras, vel
ignorari à me tuum ingenium, tuam probitatem,
putas, debes opinari. Quamquam cum recordor,
& eadem sæpè accidisse optimis viris, & ubiq; vir-
tutem honestissimum habere domicilium: nec fie-
ri nunquam, ut calamitas etiam gloriæ sit; nec ul-
lum in te dedecus, aut facinus turpe conferri:
cum hoc æternâ naturæ lege, unde humanæ leges,
tam,

tanquam ex archetypo, describuntur, fancitum esse videatur, ut vim vi liceat repellere, & sua cuique incolumitas prima sit: hæc inquam, memoriâ, & cogitatione dum pertracto; id quod, quasi solatium quærens, sæpe libenterque facio; lenitur aliquantum doloris acerbitas, atque etiam tibi, quantum licet, in medio dolore gratulor: cui, nisi loci mutatio gravis est, cetera, quæ videris amisisse, leviter ferenda esse censeo. In loco autem quid torqueat? species urbis? at ea, quæ ad oculos pertinent, nemo unquam sapiens neque in malis, neque in bonis esse duxit: & ego, qui longè à sapientia disto, hæc tamen prorsus non amo inania; solitudine fruor, quantum possum: in hac mihi vivo, & DEO; quod unum est beatè vivere. Amicorum consuetudo? quid? absentes non diliguntur? non, si volumus, & quoties volumus, literarum sermone conjungimur? Equidem, postea quàm discessisti, nescio quò modò crebrius etiam, quàm cum aderas, de te soleo cogitare? & mihi scito amicorum spectra, præsertim quos virtus, & integritas commendat, esse jucundissima. Sin utilitatem aliquam, tuis necessariam rationibus, cogitas; non dubito, quin istuc, quicquid jacturæ factum est, brevi majoribus etiam commodis resarciatur. Nec verò, si me audies, utilitatem ullam cum ea doctrina conferes, quam tu auges quotidie in isto otio, neminem curans, præter te ipsum: quod hic certè non contigit. Magnum est, studia posse colere quæ velis, & quantum velis; tibi uni sementem jacere, tibi uni fructum colligere. At quem fructum? cui

nec

nec imber immoderatus, nec æstus, nec ulla calamitas noceat, nec suavitatem detrahat, sed augeat, quæ cetera omnia corrumpit, dies. Quod si tibi, multorum philosophorum exemplò, vitam in patria ducere, ob doctorum hominum paucitatem, non perplacet: aut dubitas, quin de ista curâ nos amici tui, si quid noster in te amor, si quid pietas valebit, aliquando liberemus? quod tamen ejusmodi est, ut non tam lætandum videatur, cum evenerit, quàm non dolendum, si serò, vel si etiam nunquam eveniat. Nos enim in delectu rerum sæpè fallimur: errore mentis tanquam salutaria, quæ noxia sunt, adsciscimus: unus eventa rerum prospicit; unus igitur nostra consilia gubernet, ac moderetur Deus. Cui si te totum permiseris; si minimum in te ipso, in eo posueris omnia: mihi crede, ex istis molestiarum fluctibus emerges; nihilque posthac aut mali metues, aut boni frustra cupies: multa etiam, quæ non cupies, nullis accersita laboribus, aut studiis, ad te suâ sponte confluent. Ego tibi operâ, curâ, diligentia, quæ nunquam in me desiderabis, fortasse etiam consiliò prodesse aliquid possum: Rafarius, qui publicam personam, gerit, etiam auctoritate adjuvabit; quem licet existimem, quantum valet, tantum tuâ causâ velle; tamen suadeo, literis eum interdum appelles, rogesque; ut respiciat fortunas tuas, & aliquid eis, atque adeo multum cogitationis impertiat. Calvino, optimo viro, mihiq; vetere benevolentia conjunctissimo, amoris, & studii erga te sum ipse optimus testis: sed ætas jam obstat, quò minus ea, quæ res

postulat, obire, & exequi possit omnia. Itaque, nisi me fallit opinio, totum in Rasario est. Nam ego, ut scis, vel infirmitate valetudinis, vel diuturna jam consuetudine, & voluntaria quadam desidia, loca publica non admodum frequento: quo familiaritates intermitteri, & ex eo amicitias, si quæ penitus virtute non hærent, paulatim dissui necesse est: testimonium tamen iudicii de te mei nullo loco deerit. Et de doctrina quidem, ut spero, fidem faciet oratio nostra: eloquentiam verò, in qua tibi quantum tribuam, cum alii, tum omnium modestissimus, & ingeniosissimus adolescens, Franciscus Viannellus à me sæpè audit, tua scripta facile probabunt Vale. Venetiis.

FEDERICO GALLO, URBINUM.

EPIST. XIV.

1. Accipit Galli excusationem, quod is se in salutatio discesserit: cuius tamen desiderio flagrarit, tum, ut ipsi mandata daret id patrem: tum, ut cum ipso de ratione studiorum ageret. 2. Hortatur illum, ut per literas, quid legat, quid scribat, sibi significet: nec se desidia vel voluntati dedat: sed patris exemplum imitetur.

Iterum jam repurgas, quod in discessu tuo menses ferè quatuor absfuturus, ad me non adieris; quem, ut opinor, tui cupidum ac peramantem cognoveras. Ego autem, etiam si repentinam illam discedendi necessitatem literis minùs excusasses; tamen vide, quàm faveam amicitia nostræ, & quàm
non

non stricto iure tecum agam; nunquam mihi persuaderi passus essem, hoc abs te salutationis officium vel nostri oblivione, vel contemptu, vel ulla omnino inhumanitate tua fuisse prætermisum. Quare accipio excusationem tuam: speroque te operam daturum, ne utaris eâ posthac; idq; mihi sciro fore jucundissimum. Nam cum semper dilexerim plurimum, à quo primum die mihi cognitus est, parentem tuum; cui te cupio & spero simillimum fore in iis artibus, quibus honestius, aut gloriosius esse nihil potest: tum verò studia tua, ingenium, quiq; lumen & ornamentum ingenii sunt, mores ita me tibi adjunxerunt, ut omnibus te laudibus libenter cumulem, nihil de te, quod indecorum, aut turpe videatur, ne suspicari quidem velim. Equidem mirifico tenebar desiderio tui, tum, ut mandata darem, de quibus ageres cum parente tuo; tum etiam, ut, quò tibi studiorum genere totam ætatem in patria traducendam statueres, à te ipso cognoscerem: ut vel ex optima tuorum consiliorum ratione voluptatem caperem; vel, si quid contra sentirem, indicarem sententiam meam. Quamquam, cum domi habeas, unde discas, & unde præclara quæq; sumas; neq; te meis, neq; cujusquam egere præceptis intelligo. Veruntamen verus amor latere non potest: ostendat se, ubi etiam minimè opus est. Ac tu quidem per commodè feceris, si quod coram non licuit, fortunæ potius culpâ, quàm tuâ, id tibi agendum per literas existimabis, ut aliquid de quotidiana tua tum lectione, tum etiam, sine qua lectio penè inanis est, scriptione

significes. Non enim te puto vel desidia quidquam loci relinquere, vel iis levitatibus, in quibus plerique adolescentes insaniunt, operam perdere. Scis, quod sapientissimi homines prodiderunt, imitatricem boni voluptatem falsâ specie decipere, illecebram esse turpitudinis, escam malorum omnium, quæ capitur ætas improvida, nec se captam sentit, nisi eum imprudentiæ pœnas luit. Atque hoc in genere labi, & errare, cum cæteris turpe sit, iis videtur esse turpissimum, quibus ad amplectendam honestatē præcepta non defuerunt. Et, præcepta si valent, quæ tibi ego, pro meo in te singulari studio, decesse non patiar: quantum plus valere exempla æquum est, præsertim quæ posita ante oculos sunt, quæ tibi nunquam intueri non licet, quæque familiarum quandam quotidie laudem pariant, faciliè potes intelligere? Itaque non à te mediocre aliquid, sed summa omnia expectari, nec expectari solum, sed exigi etiam quasi debita, debes cogitare. Quæ si præstas, lætitiâ quidem parentes tuos, quibus potissimum, & patriæ natus es, afficies incredibili; te ipsum autem perpetuis instrues, maximisque bonis; nec illa timebis externa, quæ casus, & fortuna invenit: sed à te ipso pendens, nullis objectus injuriis, firmissimò artium optimarum præsidio munitus, vitam deges beatissimam, æternamque posteris tui nominis memoriam relinques. Vale. Venetiis.

OCTAVIANO FERRARIO,
MEDIOLAMUM.

EPIST. XV.

De

ficia p
mitte
ejus d
stoma
que u

O
quod
cii,
eò p
Mut
mere
non
dedi
ne n
Veru
vlea
equiv
lis,
rifica
bus r
quod
mori
homi
cogn
Quod
forta
reno
cas:

De variis rebus agit. Scribit non pœnitere, indigno officia præstitisse. Literis ejus se delectari. De libris transmittendis negotium alicui domesticorum dedisse. Consilium ejus de farciminibus transmittendis probare. Cruditate stomachi laborare, & quid medici sentiant, exponit: rogatque ut sibi radicem, quæ Irois dicitur, conditam mittat.

O Πραῖναι! at ego tuarum literarum memoriâ, contuleram in eum perpetuò quodam studiò, quidquid præstare poteram officii, operæ, diligentia. Nec me tamen pœnitet, eò processisse, unde nunc tu ipse penè revocas. Mutare autem consuetudinem, præsertim in benè merendo, vix licet. Nam illa superiora, si doctrinæ non vis, in quo me fefellit opinio, humanitati certè dedimus. Nunc dandum esse aliquid constantia, ne nostrum damnemus institutum, profectò vides. Verùm absit jam hoc argumentum à literis nostris: valeant ea, quæ jucunditatem non habent, quam equidem non modò ex tuis elegantissimis epistolis, verùm etiam cum ipse ad te scribo, capere mirificam soleo. Nihil est tanti, quod cum sermonibus nostris permutari debeat. Nec, de nobis ipsis quod scribamus, deesse unquam patietur mutui amoris abundantia. De libris tuis, de negotium homini domestico, ut à peritis de ratione vecturæ cognosceret, eosque quamprimum istuc mitteret. Quod ille, ut est omnibus ferè jucunda negligentia, fortassè nondum fecit. Urgebo literis, & mandata renovabo. Si illa farcimina curaturum te significas: in quo amo voluntatem tuam: quòd autem addiis,

addis, non antè, quàm extremo mense; ne cùm recentia sint, inclusa corrumpantur; consilium probo: & quoniam vestra istius generis opsonia, qui palatò sapere putantur, sine exceptione laudant; nec artes quæstuosas officinæ temerè dediscunt; puto fore suavissima. Sed audi, quod esse totum aliud intelliges, id est aliquantò magis ad me pertinere. *κακὸς ὁ μᾶχος* sumus, & cruditate laboramus. Id quidem à pueritia: sed auxit vitium assiduus literarum usus: quò ademptò quæ nobis, qui vulgaria contempninus, delectatio, vel potius quæ vita superest? Quare ignosce, si mihi non impero: quod ne ru quidem, opinor, facis. Quæsitum inter medicos est, ecquid adjumenti aquæ sulphureæ potus asferre posset? Variè sentientibus, recusavimus, quod ajunt, de sorte etiam in dubium venire. De gutta capiti instillandâ sermo fuit. Ne hoc quidem placuit: ne memoriam periclitaret. Ventum deniq; ad victus rationem. Præbui me facillimum, quidquid vellent. In primis radicem probarunt, quæ Irios vocatur: quam condiri apud vos egregiè, ferunt. Eam igitur, quod tuo commodò fiat, velim perquiras, inventamqve, & mediocri vasculò diligenter inclusam, cures aliquâ ratione perficendam. Quidquid erogaveris, bonâ fide, cui voles, hic numerabitur. Alexandri *ἑταῖρος* non dum ab eo, cui frater commodaverat, extorqueri potuit: nec ego ur̄si vehementer, posteaquam, non ab Aphrodiensi, cujus in eo libro mentio sit, sed à posterior Alexandro scriptum cognovi; quod etiam *χαράτις* declarat. Vale, & Cruceio, Car-

præqvo
quos u
mam.

epistola
gna se
apud E
tanqua

AM
Am
bentiu
hi quic
annis
naqve
multo
tepon
cumi
hoc ip
lentic
quide
pro ec
tum e
dio, li
lam;
tet;
ulla

præ

præque, communibus amicis, familiariibus tuis,
quos utinam aliquando complectar, salutem pluri-
mam. Patavii.

JOH. BAPT. RASARIO, VENETIAS.

EPIST. XVI.

*Agit Rasario gratias de communicata secum Ferrarii
epistola, quam sibi placuisse, nec ulla alienata voluntate si-
gna se in ea reperisse, scribit. Promittit autem, se ipsum
apud Ferrarium purgaturum illum, hortatur, ut ipsum
tanquam ducem suum ad philosophiam observet & diligat.*

Amo te vehementer de Ferrarii epistola: quæ
mihi ita placuit, ut nihil unquam legerim li-
bentius. Sanè causam suam diligenter agit, & mi-
hi quidem egregiè probat. Quamquam multis jam
annis eam imbibere animò de illius ingenio, doctri-
naque opinionem, ut errare nihil credam, si quis
multorum rationibus unam ejus auctoritatem an-
teponat. Quam tibi quoque sententiam probari
cum intellerim antea; cumque, ut verè dicam,
hoc ipso nomine plurimum accesserit ad benevo-
lentiam in te meam: cupio te nunc ne levissimè
quidem à te ipso dissidere: idque mihi tum facile,
pro eo judicio, quod de tua virtute semper habui,
tum etiam, pro meo erga Ferrarium singulari stu-
dio, libenter persuadeo. Sed, ut redeam ad episto-
lam; vides, quàm eruditè, quàm ingeniosè dispu-
tet; quàm tecum amicè, quàmque (ut apertus, nec
ulla tectæ simulationis labe suffusus ejus animus
est,

est, ingenuè, & simpliciter agat. Alienatæ verò à te voluntatis, cum causâ nulla subfit, ne signa quidem ulla in ejus literis mihi videor agnoscere. De quo quia te nonnulli ex epistola tua sensi laborare, nec injuriâ: vetus inter vos amicitia fuit, eritque ut spero, vitæ æqualis, maximis illius in te meritis, ex tuæ mihi prædicatione cognitis, non vulgaribus tuis in illum officiis culta; purgabo te apud eum primis literis accuratissimè; nec ab illo probata damnassee, aut omnino in dubium revocasse, sed quæsisse nonnulla tanquam à magistro tuo, venteremque in eo consuetudinem retinuisse, si volueris, ostendam. Non dubito, quin, si quæ ei de tuo sensu, quod equidem vix opinor, suspicio hæsit, amoveat, ac se tibi quàm primùm restituat. Novi hominis lenitatem: benevolentiam in te vidi: isque meæ in te benevolentiae fons, ea primùm origo fuit. Nec enim, quæ de te olim ad me scripserit, possum oblivisci; nec, si possum, velim. Illud à te, mi Rasari, si quid nostræ etiam causâ vis, et si necesse non arbitror, tamen vehementer peto, & si poteris, rogo, non ut optimum virum, doctissimum, hominem, Ferrarium, tuæ laudis auctorem, quod istibi ad philosophiam aditus aperuit, viamque munivit, observes, ac diligas; quod à te fieri, certò scio: sed ut in omnibus officiis, quæ ad illius non modò dignitatem, sed etiam voluntatem pertinebunt, certare mecum velis. In quo te mihi parem esse percipio, vinci nunquam patiar. Vale, & Magistrum nostrum, singulari adolescentem ingenio tibi pro sua doctrina, mihi pro meo in eum non mediocri studio deditum, saluta, Patavii.

Hæc

Hæc
rem ip
nec fa

A

exbau
ut Lut
colat,

bus.

ST
Sce
pro r
auter
bam
me t
offici
ram
tiam
esse d
rint d
possi
quò
milia
mor
prob

Hæc dictavi, ut soleo, filio meo: nam, ut scriberem ipse meâ manu, neque per medicum licebat, nec sanè stomachi ferebat imbecillitas.

ANTONIO ROLANDO.

EPIST. XVII.

Primò agit Rolando gratias de mandatis diligenter exhaustis. Deinde pro suo erga ipsum amore hortatur eum, ut Luteria, quò profectus erat, studia literarum gnaviter colat, nec à Turnebi latere unquam discedat.

Form. deferendi studium: Cui quidem si paribus. (A)

Form. hortandi. Refer ad nos illa præclara. (C)

Turnebi laus. (B)

STudium tuum in exhauriendis mandatis meis, sceleritas in rescribendo, quorum ego à te alterum pro nostra conjunctione expectabam, alterum autem pro tuis occupationibus postulare vix audebam, magnam habent significationem amoris in me tui: (A) cui quidem, si paribus non licebit officiis, pari saltem ut amore respondeam, operam dabo: nec dubito, quin consequar: atque etiam quod mihi vel injurato velim credas, me jam esse consecutum intelligo. Quî enim, tua quæ fuerint erga me officia, meæ quæ sint partes, ignorare possum, aut non assiduè cogitare? Ego, Rolande, quò primùm die, cum lectissimo adolescente, familiari tuo itemque meo, †, accessisti ad me, dilexî mores tuos, in quibus ingenui multum pudoris, quî probitatis index est; multamque prudentiam elucere.

re vidi. Pauci s diebus, cum de nostris delectationibus, id est, de communibus literarum studiis, colloqueremur, probasti mihi ingenium, doctrinamque tuam, & ad meam de te opinionem, † testimonio excitatam, plurimum addidisti. Postea facile inter nos exorta familiaritas: vel quod multis in rebus nostri sensus congruere viderentur, & latentis quædam naturæ vis, animos utriusque conjungeret: vel quod assiduitas tua penè quotidiana, ususque domesticus nihil alienitatis nostræ deesse pateretur. Me deinde Venetias rationes meæ, te non ita multo post Lutetiam vocarunt studia tua. Manet amor tamen in me quidem nris, qui fuerat præsentem te, vigetque memoria tui, nec locorum, aut temporum intervallis unquam evanesce. Quod nisi me tuæ laudis magna quædam cupiditas teneret; angerer, quod abes, & ut audio, absfuturus es: sed, versari te in ista eruditorum hominum celebritate, frui consuetudine doctrinæque Hadriani Turnebi, (B) quem jam pridem omnes cantant, ego orno, quantum possum, in sermonibus meis; nisi vehementer gaudeam, te non amem, nec, quem ames ipse, quod in primis cupio, dignus sim. Quare nostram etiam causam contende, ut, quo consilio Lutetiam petivisti, id quam maximè, quamque licet celerrimè consequaris. (C) Refer ad nos illa præclara, quorum gratia discendum tibi à tuis; perscrutanda longitineris incommoda, asperrimarum alpium perpetuis obsessam vibis jugam non sine magno periculo superanda existimasti. Quo de genere tecum agam brevibus; quia, sensus cum optimè tuos habeam

cogni-

cogni-
mente
mum a
mnes o
Qvod
quæ ist
adjum
quem
cum li
ti quæ
facile
juxta
nebus
adjuv
Cujus
nitas
nem o
esses,
nescir
ter tri
tellig
ad ali
tio &
nem l
petis
tibi, &
gene
tas,
ri, u
verim
ad ar

cognitos, non dubito, quin saepe tibi veniat in-
mentem, ex ista urbe, quò, tanquam ad amplissi-
mum artium ingenuarum mercatum libenter o-
mnes confluunt, inanem redire, quàm non deceat.
Quod si te, studio cognitionis incensum, cetera
quæ istichabes plurima, liberalium doctrinarum,
adjumenta deficerent: unus tamen idem ille,
quem paulò antè nominavi, qui præter ceteros
cum literis humanitatem, Græca cum Latinis, an-
tiquæ philosophiæ scientiam, quod è scriptis ejus
facile cognoverim, cum elegantiore doctrina con-
juxit; unus, inquam, tibi instar esse omnium Tur-
nebus, unus & suò te commovere exemplò, & suis
adjuvare plurimum documentis, consiliisq; posset.
Cujus ut à latere, quoad hominis permittet huma-
nitas, ne unquam discedas, & istam urgeas occasio-
nem divinitus datam, adipiscendæ virtutis; si tu is
esses, qui naturam humanam solâ perfici virtute,
nescires, hortarer etiam atque etiam: idqve liben-
ter tribuerem amicitia nostræ: sed cavendum in-
telligo, ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας: cum tu ibi sis, unde
ad alios præclara instituta, unde laudabilis vitæ ra-
tio & sapientia ferè manat omnis. Viam, & ratio-
nem latine scribendi, obsecro, mi Rolande, cur à me
petis, cum is, quo ego uno magistro sum usus, &
tibi, & omnibus Cicero pateat? an tu me vel hujus
generis reconditum aliquot tenere artificium pu-
tas, à quo longe absūm, vel si tenerem, posse fie-
ri, ut ab ullo, præterquam ab hoc ipso, cogno-
verim? nec tamen, utiliter quædam præcipi, &
ad artem posse redigi, negabo: sed mihi ne tantum
one-

oneris imponis, cui nec domesticis curis otii multum est, & id ipsum, quod est, vel amicis officii causa, vel valetudini necessario tribuitur? Scripsi olim de meis exercitationibus, nescio quid, à nobilissimo viro, bonarum artium patrono, Stephano Saulio rogatus: & fortasse digitum ad eum fontem intendi, quò si accesseris, non dicam equidem istam eloquentiæ sitim explebis, sed, ut arbitror, nihil inquinatum hauries. Exstat ea, cum aliis edita, epistola. Si videtur, leges: aut, si legisti, & quæris amplius; à me curexpectes, quem respirare negotia non sinunt, hoc equidem tempore non est: pete ab istis, qui vacant, optimis, & scribendi, & iudicandi magistris. De Laërtio, &, quod egisti, pergratum est; &, quod acturum te ostendis, id si præstabis, maximam inibis à me gratiam. Turnebus, ut me plurimum diligat, quod certè mutuo faciet, exopto; plurimum ut mihi tribuat, quod literæ tuæ significant, non postulo. Quid enim ego sum? aut, si esse aliquid videor, præ illo tamen quid sum? non enim χαλκῆα χρυσεῖσις unquam conferam, ne cum Homérico Glauco errem: sed χρύσεια χαλκείσις anteponam semper: Ille est, cui iure omnia tribuantur, qui jam pervenerit eò, quo nobis adspirare non licet. Saluta eum meis verbis, cum veterissimo amico meo, spectatæ virtutis, & industriæ viro, Carolo Stephano. Vale. Venetiis.

CAROLO SIGONIO,
PATAVIUM.

EPIST. XVIII.

Sigonium hortatur, i. de operam, ut Patavii cum

Si-

in cele
deat,
lam a
EG
Sed.
stri se
multa
mi Si
ri, sap
quid
vitæ p
tavi
spect
sape
venit
timer
mni
cre p
doct
sed u
omn
Qv
mihi
taten
nec
bui
faria
is cu
xisse

Sigonium hortatur, 1. det operam, ut Patavii cum sit, in celeberrimo Italia theatro, omnium expectationi respondeat, & nihil me dicere sibi præstandum existimet 2. ut Scalam amet, 3. ut crebro scribat.

EGredere diligenter, quod mandaveras. Præcise negavit, ac visus etiam nonnihil molestè ferre. Sed mihi crede, hujus generis penè magistro, vestri sensus non congruerent. Nihil morosius. Omnia multa in omnibus intolerabilia: quæ nobis tamen, mi Sigoni, quæ à libris nescio quid plus, quam ceteri, sapere didicimus? ferenda sunt. Quamquam tibi quidem, pro tua prudentia atque etiam pro superioris vitæ perpetua consuetudine, nihil difficilè. Sed, Patavii te nunc esse, in celeberrimo Italia theatro, ubi spectatur, & notatur acerrimè, quidquid dicas, & sæpe mihi, nec unquam sine aliquo metu in mentem venit. Sic sunt, qui amant: omnia cupiunt, omnia timent. Vides, quo te in loco tua virtus, quantâ omnium expectatione, constituerit: nihil mediocre præstandum est, nec, ut cum aliis, quibus te jam doctrina, industriâque antecelluisse omnes judicant, sed ut tecum ipse certes, teque ipsum, si licet, vincas, omni quæque laudis genere cumules, elaborandum. Quæ, cum, ad quem scribam, considero: & cum mihi singularem tuam rectissimis in studiis cupiditatem, ac diligentiam propono; mirificè lætor: nec me tamen pœnitet hoc nostræ necessitudini tribuisse, ut ea legas à me scripta, quæ minimè necessaria duxerim. Hesternum diem puto te mutuis cum Pace Scala sermonibus jucundissimè traduxisse: quem volo à te amari plurimum: vel quod

ab illo te quoque amari plurimum sensi; vel quod eo nihil humanius, nihil amabilius. Præterea, quod te vehementer movebit, multis nominibus ego illum in oculis fero: nec in eo rivales habeo paucos. Faloppio nostro si discessum meum excusaveris, cum uxoris morbus urgeret; gratissimum erit. Nec tam diutius hic me commoraturum puto. Tanti nihil est, ut vobis carere possim. Interim vale, & si vacat, scribe non accurate, sed, ut ego nunc, quicquid in buccam: ne pereat omnino fructus nostrorum sermonum: quem si literæ restituent; paulò feram leviùs absentis tui desiderium: cujus igniculum, è cubiculo meo cum discederes, sentire cæpi: nec deinde tuum spectrum discessit ab oculis meis. Venetiis.

MARCO ANTONIO MURETO, ROMAM.

EPIST. XIX.

Exstat etiam inter Mureti Epistolas Vol. I. lib. II. Ep. 22. Respondet autem Mureto ad lib. I. Ep. 12. Venit ad te.

1. Gratulatur Mureto, quod Regibus operam det, quod ingenium ejus Pontifici & Cardinalibus probetur. 2. Orationes ejus laudat. 3. Querela de obitu Duareni. 4. Significat se valere, & commentarios texere in Epistol. Ciceronis. 5. Gratias agit de amicitia Petri Fabri.

Form. Deferendi amorem: Meum in te animum &c. (A)

GAudeo, mi Murete, quod profectò etiam me tacente existimas, te navare operam Regibus in-

ingeniumque tuum, quod ego semper unice dilexi, extulique laudibus, à tanto Pontifice, & ab universo Cardinalium Collegio vehementer probari. Nam, si qui aliter sentiunt: quanquam quis est, qui aliter sentire possit? veruntamen si qui fortasse reperientur, quos livor impediatur, quò minus rectè ac sincere iudicare possint: de iis laborandum non erit: cum te præsertim ille noster, quem sequuntur multi, sed ille præter ceteros, qui nobis quasi *unusquisque* debet esse, non mediocriter ornet atque diligat. Hæc altera tua oratio priorem illam vel æquat, vel vincit, sententiarum, verborum, ordinis præstantiâ. Quo in officio, ac munere cupio te pergere. Simul enim perges in expedita, maximeque directa gloriæ via, per quam processisti jam longissimè, nemine præcurrente, me favente plurimum. De tua in me benevolentia, cum recordor meam, dubitare non possum. (A) Meum in te animum expertus jam es; eundem si & esse nunc, & perpetuò futurum arbitris, non fallam opinionem tuam. Nam & mea, non solum consuetudo, sed etiam natura ita postulat: & tu perficis eas laudes, quarum principia me olim, expectantem id, quod præstare te nunc video, in tui amorem impulerunt. Habeo summas gratias, quas agi à te cupio, Archiepiscopo Beccatellio: eumque meo nomine, ut quam licebit officiosè, quamque plurimum salutes, valde rogo. N. t, ut scribit ad amicos, floret honoribus in patria, carus Imperatori, jucundus omnibus. Nosti humanitatem, & ingenium: doctrinam auxit à discessu tuo, quantum vix credas: itaque summa omnia de illo

adolescente sperare nobis licet. Duareni obitu, de quo heri primum à Germano homine, qui ex Gal-
lia recens venerat, accepi, damni plurimum in iure
civili factum est. Equidem dolui vel tuâ causâ,
quod eum à te amari senseram; quanquam hæc, si
ferret humanitas, prorsus dolenda non essent. Quid
enim proficimus? angi quidem gravius, neque
communis conditionis necessitas concedit, & vitæ
commutatio, brevissimæ cum æterna, miserrimæ
cum beatissima, valdè vetant. Ego nunc, quod ac-
ceptum divinæ benignitati refero, quodque tibi pu-
to fore jucundissimum, valetudine utor satis com-
moda oculis quidem optimis, quod aliquot annis
non contigit. Itaque, cum otium non ferrem, (scis
enim me quiescere non posse) commentarios in re-
liquas Ciceronis Epistolas cæpi texere: & ut ini-
tia sunt, prorsus industria non *ὀίχηται*. Absolvi, ut
mihi quidem videtur, majorem partem, id est, tres
primos libros, & extra ordinem, Octavum. In qui-
bus, ut dixi jam, nisi me communis *Φιλανθία* deci-
pit, non videtur opera malè collocata. Habebis in
clausula, de Petro Fabro, tuo dicam, an meo? ita me
triduo cepit, sibiq; devinxit ingenio, humanitate,
prudentiâ. Planè vixi, quàm diu mecum fuit: nec
mediocri sum amore discedentem profecutus: na-
tu, si nihil præterea meâ causâ velles, qui & vis, &
egisti jam plurimum, tamen hoc uno munere, quod
auctus per te sum tam ornati adolescentis amicitia,
meis omnibus in te studiis, quæ tu merita vocas, ac-
cipit gratiam retulisti. Vale. Venetiis.

HIE-

HIERONYMO CAPILUPO,
EPISCOPO FANENSI.

EPIST. XX.

Respondet officiose Epistola Capilupi, & pudorem suum excusat, quò factum sit, ut literæ illius suas anteverterint. Deinde se laudibus ejus delectari scribit, ac gratias illi agit, quòd aditum sibi ad amicitiam suam aperuerit.

Form. Agendi gratias. Tibi verò (A)

SANè postulabat mea pervetus in te observantia, ex ingenii tui præclaris orta monumentis, ut aliquid ad te literarum darem: sed me dignitas tua semper, & persona deterruit, verentem, ne talem virum, tantarum rerum occupatione distentum, inanibus appellare literis, prudentis hominis non esset. Nunc, ut verè dicam, penè accuso modestiam meam; quòd, dum cogito ad te scribere, nec tamen consilium explico, interea tua fecit singularis humanitas, ut anteverteres. Quamquam ego apud te, maximarum virtutum laude præstantem, ad quas mihi adspirare non licet, plus residere officii molestè feram, cum præsertim hoc ipsum amoris in me tui, quò equidem antequam nihil habeo, non obscurum argumentum esse videatur. Quocirca, ut interdum me pudet pudoris mei, quòd nihil ad te scribere sim ausus, cum tamen maximè cuperem: sic istà tuæ voluntatis erga me declaratione, istis etiam laudibus, quibus me ornat epistola tua, mirificè delector. Noli enim existimare, si quid unquam meis laboribus ac vigiliis

gilis non contemnendum præstiti, me fructum ul-
lum, aut mercedem præstantiorem expectasse,
quàm quæ ex tuo, tuique similitum iudicio, ac te-
stimonio percipitur. Quod si assequor, triumpho.
Sin, quod suspicari facilius possum, ita me laudas,
ut quasi deficientem in cursu tuâ voce impellas; ne
sic quidem vulgari me munere obstringis, cum ad
cohortandum, atque incitandum, si ulla res, cerè
tua plurimum valeat auctoritas. Itaque enitar, ne
tu me non bonum tuarum literarum interpretem
fuisse putes. Incumbam enim paulò acrius ad ea,
quæ qui possidet, jure laudem fert. (A) Tibi verò,
quod ad me tam humaniter scripseris, quodque ul-
tro ipse mihi diu exoptatum ad tuam amicitiam adi-
tum aperueris, si, quam debeo, gratiam referre non
potero, habebò saltem, ut priores officii partes re-
potius tibi, quàm studiò & voluntate concedam.
Vale. Venetiis.

NICASIO CASLETANO.

EPIST. XXI.

*Resp. ad conciliatoriam Epistol. Casletani, & excusatâ
responsionis tarditate, primò literas ejus ob humanitatem
& elegantiam laudat; deinde se parem ipsi in laudando &
ornando voluntatem redditurum, pollicetur.*

*Form. Dubitare, utrum majorem latitiam an dolo-
rem ex amici literis acceperis. Ibi. Quantum mihi*
(A)

Form. Deserre alicui studium suum. Quare cum istam
&c. (B) Et. Quod ad me attinet. (C)

Form.

Form. Promittere crebras literas. Ibi: Præsentem

scilicet. (D)

(A) Quantum mihi voluptatis attulerant literarum tuarum, summæ tum humanitatis, tum etiam doctrinæ notis insignes: tantum postea doloris, ac molestiæ, ereptâ ob adversam valetudinem respondendi facultate, suscepi. Non enim aut is ego sum, cui quidquam prius officiû sit: aut eum te esse ex tibi literis cognovi, cuius amicitia contemnenda potius, quàm appetenda videatur. Sed ommitto tibi vel testimonium, quod apud me ponderis, sicuti debet, habet plurimum; vel voluntatem, cui libenter omnia tribuerem. Ipsa, quàm ad me misisti, epistola quid est, quod impetrare non possit, scripta primum humanissimè, cum benevolentiam in me tuam significes, meam exoptarer videaris: deinde ita eleganter ac disertè, (ne vivam, si mentior) ut ego tibi in hac eloquentiæ laude comparem sanè paucissimos, anteferre debeam neminem. (B) Quare cum istam animi tui singularem, in me amando, atque etiam laudando liberalitatem libenter amplector: tum verò, me tibi parem in utroque voluntatem reddere, idque non tam officii tui magnitudine provocatum, quàm iudiciû facere, velim existimes. Tu videris, quid de me sentias, & quò me locò reponendum statuas: non enim ita laudem aspernor, præsertim quæ ab iis, de quibus bene omnes existimant, proficiscitur, ut, quàm de studiis meis opinionem susceperis, ejus deponendæ, aut imminuendæ, tibi auctor esse unquam velim. (C) Ego, quod ad me attinet, si qua tui dabi-

tur facultas ornandi, plenâ manu tuas virtutes ad
cælum tollam: studiô quidem, & amore ne vin-
car, & enitar, ut soleo, diligenter, &, ut spero, con-
sequar. (D) Præsentem scilicet mutui sermonis
suavitatem longinquitas aufert: literis tamen, si
valebo, quod adhuc non contigit, ne prorsus abesse
videamur, operam dabo. Vale, & † meo salutem,
Venetiis.

JULIO BELLOGRADO, IUDINUM.

EPIST. XXII.

*Hortatur Bellogradum, ut in cursu ad laudem pergat, &
paternam virtutem imitetur. NB.*

form. hortandi: Perge adolescens. (A)

A Mabam te antea, mi Juli, quod esses cō patre
natus, cujus excellentem probitatem, atque
doctrinam non præsentes modò, sed longinqui eti-
am prædicant; ego summam in me humanitatem
sæpe sum expertus: nunc, istâ indole, istò te inge-
niò præditum esse cum intelligam, ut paternam vir-
tutem, tanquam amplissimum patrimonium, non
modò conservare, verum etiam augere possis; an-
dubitas, quin omnia in te studia libentissimè con-
feram? Quibus addam officia, cum licebit: &, ut
sæpè liceat, exopto. (A) Perge, adolescens egre-
gie, mihi carissime, in isto ad laudem cursu. Viam
invenisti, quæ te ad immortalitatem feret, dire-
ctam, expeditam, à vulgi erroribus longè remo-
tam. Quoribi nomine gratulor, mihi gaudeo pluri-
mum, &, ut perpetuo gaudeam, futurum confido.

Speci-

Speci-
spex
mira
nes p
tation
eo lau
discip
te ma
cipia
joris
um i
HI

rans,
tum i
A
ita ju
stant
ta vir
ciò,
runt,
com
hono
ma
mus
mner

Species enim virtutis eximia, quò propius eam adspexeris, eò te commovebit magis, & amorem sui mirabilem excitabit. Interim contemplare actiones prudentissimi viri, parentis tui: ad ejus te imitationem totum finge, atq; conforma; ut haurias ab eo laudem tuam, quam capere uberiores ex nulla disciplina potes. Me velim existimes omnibus de te maxima polliceri, & in te amando, si patrem excipias, nemini concedere. Filius meus te sibi majoris fratris loco ducit; nec ullum tui ornandi, quantum in ipso erit, locum prætermittet. Vale.

HIERONYMO SERIPANDO
CARDINALI CREATO,
ROMAM.

EPIST. XXIII.

Gratulatur Seripando de Cardinalitia dignitate, sperans, ejus sapientiâ causas dissidiorum in Ecclesia sublatum iri.

A Quo primùm tempore aliquid sapere, id est, à vulgi opinionibus dissentire cœpi, semper ita judicavi, multò esse optabilius, multoq; præstantius, consequi virtutem ipsam, quam ornamenta virtutis. Itaq; nunc, allatò de tua dignitate nunciò, quem hic ingenti lætitia boni omnes exceperunt, non sanè tuâ causâ magis, quam antea, pro communi quidem Ecclesiæ bono, cui tantum ex honore tuo præsidii, tantum splendoris accesserit, magnopere sum lætatus. Tu enim is es, cujus animus hæc humana nunquam spectaverit, semper omnem spem, omnemq; gloriam, ac felicitatem in-

uno Deo, & in illa cœlesti vitâ, rectè, ac laudabiliter agentibus propositâ, collocarit. Cui sint occultæ mirabiles illæ tot annorum cogitationes, actiones, conciones tuæ? quæ si obscuræ fuissent, uno illo factô illustrarentur maximè, cum illa Præfectoræ generalis insignia, quæ libenter omnes assument, multò ipse libentius deposuisti. Quocirca non equidem magis, quia Cardinalis nunc es, quàm quia semper ita vixisti, ut Cardinalium collegiò dignissimus esses, & mihi, & omnibus lætandum intelligo. Nec verò singularem, ac divinam Pii IV. Pontificis Max. sapientiam admirari, & efferre laudibus unquam desinam, qui vexatam assidue pravarum opinionum impetu, nec mediocri periculò fluctuantem Christianæ reipubl. navem auctoritatis, & doctrinæ tuæ pondere constituendam putaverit. Itaq; non jam illas à septentrione horribiles procellas, à quibus antea naufragium impendere videbatur, posthac timebimus. Pio IV. gubernante, quod utinam divina benignitas duriturnum esse patiatur, tuâ, Seripande, tuorumq; filiorum ope, summâ tranquillitate perfruemur. Id & speratur, jam indictô conciliô, quod unicuique tantis malis eximia superiorum Pontificum sapientia remedium invenit: & mihi quidem si contigerit, ut ad eam diem spiritum ducere liceat, cum sublata in perpetuum exitiosi dissidii causâ, unam in communi salute voluntatem, unum gregis universi pastorem, ac moderatorem videam; satis me vixisse arbitrabor, & planè lætus ex hac vita discedam. Iterim fruar expectationes; & tibi, ruisce

virtu
mult
bene

AL

enim
suor

M

eluce
petu
lè, si
non e
dita
Hoc
gravi
stim
tem,
Card
bante
coop
& tu
pro t
Qvo
quid

virtutibus, quas omnes laudant, utinam imitari
multi vellent, eam, quam debeo, observantiam,
benevolentiamq; præstabo. Vale. Venetiis.

ALOYSIO ESTENSI CARDI-
NALI CREATO, FERRARIAM.

EPIST. XXIV.

*Gratulatur Aloysio Estensi de Cardinalitia dignitate,
cum addita hortatione, ut locum hunc pro sua & majorum
suorum dignitate tueatur.*

Form. Hortandi: Gaude igitur. (B)

Multa, & magna Principibus viris, inter quos,
Aloyfi præstantissime, tua præcipuè nobilitas
elucet, ad studium eximiae laudis adjumenta sup-
petunt: quæ si comitatur voluntas, excellunt faci-
le, sic, ut ad immortalitatis præmia, cum quibus
non opes, non imperia sapientes comparant, expe-
dita quadam, & quasi compendiarie viâ perveniant.
Hoc tibi contigisse, cum omnes antea faterentur,
gravissimum accessit Pii IV. Pontificis Maxim. te-
stimonium, qui te, diu expectitum, penè recusan-
tem, non rogantem quidem certè, in amplissimum
Cardinalium collegium, ipso maxime compro-
bante Collegio, summâ bonorum lætitiâ, proximè
cooptavit. Restat, quod futurum nemo dubitat,
& tua superior vita pollicetur, ut istum honorem
pro tua, majorumq; tuorum dignitate administres.
Quod facile consequeris, si te, quidquid statues,
quidquid ages, Cardinalem esse cogitabis, id est,
ex

ex eo ordine, unde maximi, ac præpotentis DEI Vicarii, rectores humani generis, Pontifices deliguntur. Locum tenes, quem summa dignitas illustrat, & in quo nullum neque dictum, neque factum obscurum esse possit. Nectibi aut à natura quidquam, aut à fortuna denegatum est, quò minus amplissimo te dignum sacerdotiò præbeas. Operosum aliis, & perdifficile sit, ut est omnino, ac semper fuit, rectè, & laudabiliter agere; Aloysio Eustensi, in tanta ingenii animique præstantia, tam propensa ad honestum voluntate, tantis etiam opibus, quis aditum veræ laudis non patere, quis æternæ viam gloriæ non esse facillimam existimet? (A) gaude igitur tam excellenti bono; & incumbere totus in eam curam, ut antiquum familiæ tuæ decus, per tot sæcula, tot Ducum, tot Regum, & Imperatorum virtute partum, non tueare solum, verum etiam vehementer augeas. Nam nunc quidem eò tantum nomine tibi gratulamur, quod simul cum isto honore præclaram sæpe exercendæ virtutis occasionem accepisti. Cumulabitur lætitia, & erit aptior gratulandi locus, cum hæc honorem insignia, quæ multis oneri fuisse constat, iustitiâ, pietate, omniq; beneficentiæ genere ita sustinebis, ut & optimi Pontificis iudicio, & bonorum expectationi, quæ nulla major unquam fuit, egregiè satisfacias. Quod eventurum brevi, omnes confidunt: ego, pro meo in te singulari studio, quasi jam evenierit, præsentis gaudii cupiditatis meæ fructum capio. Vale. Veneriis.

JOH.

JOH. BAPTISTISTÆ SARACIO,
FERRARIAM.

EPIST. XXV.

Gratias agit Saracio, quòd ipsius autoritate è perdifficili negotio sit expeditus, & suam erga ipsum observantiam majorem esse dicit, quam à se exprimi aut officio declarari possit.

Form. gratias agendi: Nec tamen futurum despero (A)

Semper equidem existimavi, quod tu quoque sentis, doctissimè Saraci, non minimum fortunæ præstare virtutem; in qua etiam unâ satis esse ad bene beateq; vivendum putarunt multi: tamen incidunt quædam tempora, cum ipsi etiam habenda fortunæ gratia videatur, Quod mihi nunc gaudeo contigisse. Nam cum, aliquot ab hinc annis, consentiens multorum sermo, eximias ingenii tui suavitates assidue prædicantium, in eam me voluntatem ac mentem adduxisset, ut diligerem te vehementer, & colerem: casu accidit proximis diebus, ut auctoritas tua, magnis atque perpetuis erga Principes tuos meritis, virtutibusq; parta, expedire me hærentem; atque impeditum perdifficili negotio, posset. Hoc ego fortunæ meæ non vulgare beneficium esse duco. Alterum est tuæ virtutis, quòd, cum tibi meam cupiditatem vir egregius, omniumq; humanissimus, Paulus Sacratius ostendisset: contulisti statim ad rationes meas studia tua, spemq; nostram, jam propè languentem, atque abiectam, erexisti, & confirmasti promissis primis, dein-

deinde etiam officiis tuis. Qvò quidem in me singulari merito, qvibus tibi verbis gratias agam, plane non reperiò. Vincit enim, vincit prorsus, optime Saraci, ingenium meum humanitas tua. Sed hoc ipso fit virtus illustrior, cum in eos beneficia conferuntur, qvi satisfacere non modò ipsa re, sed verbis quidem ullò modò possint: qvòd tibi permasum esse qvis dubitet, qvi consuetudinem bene merendi tuam, à præstanti quadam natura ortam, liberalium doctrinarum studio mirabiliter auctam, cognoverit? veruntamen, quando mihi non simul cum facultate voluntas qvoq; eripitur remunerandi, non nihil in molestia gaudeo, & fruor tacitus officii conscientia; (A) nec tamen furtim despero, ut, qvæ mihi nunc ad grati animi significationem deesse verba sentio, eadem aliquando abundent, in tua benignitate apud alios prædicanda. Interim, sine me hoc impetrare ab humanitate tua, ut multò maiorem esse putes observantiam, ac benevolentiam in te meam, qvàm ullo unqvam à me exprimi, ac declarari officio possit. Qvòd si, ut spero, facies; mihi crede, præsentem gratiam, qvàm exprimis Sacratì mei literis absolutam expecto, haud paulò maiore gratià cumulaveris. Curatio nisi grave est, à te salutaris meis verbis Joh. Baptistam Pignam. Vale. Venetiis.

PAULO SACRATO,
FERRARIAM.

EPIST. XXVI.

Respondet Epistola officiosa P. Sacratì, eumq; laudat.

dar à
inter
I
I
agnosc
mum i
P
destia
I
meis.
Sole
sa;
dele
ut La
curis,
trove
que h
copio
geni
liben
bam f
tiam,
stant
& vol
oratio
temp
verò,
timo
tificie
posse
ingen

*dar à singulari elegantia, quam non putavit ille potuisse
inter studia tam diversa contingere.*

Laus Jac. Sadolerti.

*Deinde laudes à Josepho Fasinaro in se conjectas non
agnoscit. 3. Pronavata in rebus suis operâ gratum ani-
mum illi promittit.*

*Form. laudem non agnoscere. Oblitum esse mo-
destiæ suæ. (A)*

*Form. Pollicendi gratum animum: Quæque à te in
meis. (B)*

Solet interdum eventus esse gravior, quàm cau-
sa; interdum etiam causa, quàm eventus. Me
delectavit utrumque; pariter in literis tuis. Nam, &
ut Latine ad me scriberes, homo tum domesticis
curis, tum etiam sedandis, ut audio, multorum con-
troversis assidue distentus, certè amor impulit, at-
que humanitas: & epistola tua ita mihi ornatè, ita
copiosè omnes non modò animi, verùm etiam in-
genii tui partes expressit, ut nihil unquam legerem
libentius. Ego tibi antea, optime Sacrate, tribue-
bam sanè multa, quæ pauci consequuntur, pruden-
tiam, integritatem, doctrinam, maximè verò præ-
stantem quandam ad excolendas officiis amicitias
& voluntatis, & naturæ propensionem: istam verò
orationis exornandæ facultatem, quæ cum multi
temporis, magnæque videtur esse industriæ; tum
verò, ut ego sentio, atque usu etiam didici, ab in-
timo quodam, planeque recondito depromitur ar-
tificio; vix putabam tibi inter diversa planè studia,
posse contingere. Sed videlicet me fefellit, quod
ingenium tuum communibus metiebar exemplis;
nec

nec mihi veniebat in mentem, avunculi tui Cardinalis, Jacobi Sadoleti, præceptis, & consuetudine domesticâ aditum tibi ad omnem gloriam esse partefactum. Nam, cum ille cunctis virtutibus, quas laudabit posteritas omnis, assequetur fortasse nemmo, bonorum ac sapientium judiciò virorum excelluerit; hæc tamen in primis Latine scribendi lauda ita floruit, ut veteres illos propemodum æquaverit; nos quidem, per eandem viam cupientes excurrere, longè reliquerit. Sed, ut ex epistola tua conjicio, conservabis hoc quasi patrimonium, familiæ vestræ proprium; & hæc tibi communis hæreditas erit, cum patrueli fratre tuo, Paulo Sadoletto, quem omnes homines ad egregia quæque natum intelligunt. Equidem in hoc mihi ipse, primum gratulor, qui tibi harum literarum, quibus nescio an quidquam non modò humanius, verum etiam ornatius esse possit, causam dederim. Nam Josephum Fasnardum, quem ob ejus doctrinam & mores egregios vehementer amo, (A) oblitum arbitror mediocris suæ, cum de me loqueretur, & utrumque vestrum in eo consensisse, ut ille; te libenter audiente, pro veris falsa narraret, aut certè veris plurimum affingeret; tu illi plenâ manu, ut sæpe prodigus amor est, ea, quæ prorsus non agnosco, in me conferenti, pro tuo in me studio libenter, & faciliè crederes. Utinam quidem, qui vobis nunc esse videor, is aliquando esse possim: quod quia sperare non licet, ne curam optem quidem est. Meus in te animus (quid enim præterea pollicear?) officio erit, mihi crede, fin.

fing
atq
erga
omn
rior,
scus
dian
nec j
laud
lens,
salut
literi
vere
um,
cupi
nunc
vix p

FR

tumq
(Po
is si

mod

pari

M

singulari: (B) quæque à te in meis rebus opera, atque benevolentia navatur, perpetuò quodam, erga te studiò ita compensabitur, ut nihil nemo omnium, exceptò amore domesticò, te uno carior, aut jucundior unquam esse possit. Franciscus Morandus, cujus ego contuberniò, & quotidianà consuetudine mirificè delector, vir egregius, nec juris tantum civilis peritiù, sed poëtica etiam laude, & literarum elegantia vehementer excellens, mutuò te diligit, & quæ ego tuis verbis eum, salute impertivi, eandem tibi ut ejus nomine his literis adscriberem, diligenter mandavit. Tu salvere plurimum à me jubeas Joh. Baptistam Saracium, deditum semper optimis disciplinis maximeque cupidum ornandæ virtutis, itemque †, quem vidi nunquam, amo tamen sic, ut mihi te rivalem esse vix patiar. Vale. Venetiis.

FRANCISCO ROBORTELLIO,
BONONIAM.

EPIST. XXVII.

Gratulatur sibi de reconciliata Robortelli gratia, eumque rogat, ut se mutuò diligat, & officiis secum certet, (Potest referri ad Officiosas) Gratus quoque illi agit de oblationis sibi typis Gratus, &c.

Form. Gratiarum agendi. Tibi tamen, quia de commodo &c. (A)

Form. promittendi gratum animum. Quod, si à me paria, &c. (B)

Magnam habeo gratiam Hieronymo Seripando, optimo Cardinali, omniumque virtutum
Z glo-

gloria praestantissimo, quod ab aliqua nos ab imitationem virtutis exorta similitate ad summam benevolentiam, conjunctionemque; traduxerit. Te quidem cum eximia doctrinae opinione, quam apud omnes merito consecutus es, humanitatis laudem velle conjungere, tum mea causa laetor, qui tua consuetudine nimium diu molestissime carui, meaeque in te perpetuae voluntatis ipse mihi egregie sum conscius; tum verò, quod inter te, & Sigonium meum, viros tales, & plane duo nostrae Italiae lumina, non optime convenire, ferendum vix erat. Itaque cum de nostra, auctore Seripondo, reconciliata gratia ex ipsius Sigonii literis cognovissem; feci statim, quae meae partes erant, ut omnino te complecterer, meque tibi, leviter antea, nec sane mediocriter cum dolore immutatum, libentissime totum restituerem. At te peto, non ut me mutuo diligas; quod te jam facere, perpetuoque; facturum certo scio: sed ut officiis etiam ita mecum certare velis, quibus & cupide vincam, & vincar tamen non invitus, ut nihil omnino neque; de mea in te vetere observantia, neque; de tua in me benevolentia detractum esse videatur. Quamquam hoc, tam fretus bonitate, & sapientia, cum speraverim antea, nunc ut plane confidam, literae tuae fecerunt, ad hominem bene doctum, & utriusque nostrum amantissimum, Raphaellem Cyllenium proximè conscriptae: quibus in literis partim de me, quod sum mirifice laetatus, amantissime loqueris, partim etiam typos Graecos fratris mei, nescio quae culpa amissos, benignissime mihi polliceris, ac defers. Ego, mi Robertele,

le,
certè
max
satis
gnis
quia
sine
tuit,
pern
paria
bus,
quan
ctabi
stem
lari n
volu
hum
to, q
amic
um A
ter.

am d
mata
capit
finat

H

le, istam vehementer amo voluntatem, quam tibi certè emetior: liberalitate verò tua etsi delector, maximè, tamen, cur utar, non est; cum officinam, satis amplà & pereleganti hujus generis copià magnis jam sumptibus intruxerim. (A) Tibi tamen, quia de comodo meo tuà sponte cognoveris, quod sine summo erga me amore fieri profectò non potuit, æquè debeo, ac si rem omnium maximam meo perneccessario tempore detulisses. Quòd si à me, paria, ac multò etiam præstantiora in omnibus rebus, quas ad tuam laudis, tuiq; commodi partem aliquam pertinere intelligam, studia, & officia expectabis, nunquam te fallam. Atq; hujus quidem testem promissi, & quasi loco fœderis, quod à me violari nunquam patiar, hanc esse apud te epistolam, volo. Camillum Palæottum, cujus excellentem, humanitatem, conjunctam pari virtute, non dubito, quin præclarè cognitam habeas, & communem amicum, dignum Romulo parente filium, Pompilium Amasæum, rogo te, salutes meis verbis diligenter. Vale. Venetiis.

ALEXANDRO CRISPO.

EPIST. XXVIII.

Respond. Conciliatoria Epistolæ Cippi, eaq; scribit; suam de ipsius ingenio susceptam opinionem magis esse confirmatam: cum addita hortatione, vel potius petitione, ut ceptum virtutis cursum teneat, nec se ullare ab eo abduci sinat.

Form. hortandi: Hic ego hortarer. (A)

Habet hoc virtus, ut amicitias nullo intercessare

lore conciliet. Itaque, cum de studiis tuis & incredibili quadam ad liberales artes voluntatis propensione, ex Sebastiani Leonis, familiaris mei, literis cognovissem: dilexi te statim, idque ut intelligeres, vehementer optavi. Nunc, quando opinionem meam de ingenio tuo susceptam epistola tua confirmat; ego quoque aliquantò magis ad te amandum impellor. Quod verò etiam in amore mihi respondeas, tuamque operam, curam & auctoritatem nullo unquam loco defuturam promittas; utrumque facio plurimi, & esse perpetuum cupio. Quod ut confidam, tua probitas facit, multorum sermonibus, præcipue verò Leonis nostri testimonio comprobata. (A) Hic ego hortarer, pro mea in te summa benevolentia, ut acrius te ad omnem laudis cupiditatem incitares. Sed neque industria tua cujusquam indiget præceptis: nec te res ulla magis ad gloriam accendat, quam nobilitas tua, quam, non dubito, quin sæpe mente & cogitatione contempleris. Tantum igitur te rogabo, ut istum teneas, quem cepisti, cursum, nec te unquam aut voluptas, quæ adolescentibus maximè suis blanditiis, & fida boni specie perniciosas insidias tendit, aut fucatus rerum humanarum splendor à studio virtutis, id est, à vera, solidaque gloriâ deducat. Vale, & Leoni nostro doctissimo atque optimo viro, dic salutem meò nomine plurimam. Veneriis.

SCRIPSIT HANC ROGATUS A
NOBILISSIMO VIRO.

EPIST. XXIX.

Nob

ipsum
ipsum
sat, &
ingra
loqua
offen

Cū
Cir
fatis
voler
ac pe
incre
ex pa
buit
dole
posse
re pr
stud
tem
te se
verò
hon
cos,
reju
coro
pio
nim
Et,
tum

*Nobilissimus vir delatus fuerat apud Principem, quod
ipsum in sermone detraxerit, quodq; gloriatus sit de sua erga
ipsum liberalitate. Hoc nomine se apud Principem excu-
sat, & ostendit, se non esse tam pravam, tam stultum, tam
ingratum, tam honoris sui negligentem, ut de ipso iniquius
loquatur aut sentiat. Ac proinde ipsum rogat, ut omnem
offensionem deponat, & se totum sibi restituat.*

Cum in summis molestiis, quibus me fortasse,
immerentem fortuna vexet, quæ quidem tibi
satis notæ sunt, unicum mihi solatium fuerit bene-
volentia tua, quam opinabar me singulari quadam
ac perpetuâ erga te observantiâ, & studio quodam
incredibili consecutum: eò me solatiò magna
ex parte privatum esse, ex eo sermone, quem ha-
buit mecum proximè Drusus tuus, vehementer
doleo. Quod quidem eò patior acerbius, quia, si
posset augeri amor in me tuus, augeri potius debe-
re pro mea in te egregia voluntate, maximisq;ve
studiis, existimabam. Quid enim, à quo primùm
tempore aditus mihi patuit ad amicitiam tuam, de
te senserim, ipse mihi optimè sum conscius: quid
verò prædicaverim, testes habeo, non levissimos
homines, sed præstantes viros, eosq; minimè pau-
cos, quorum auctoritas, & probata vita vel sine ju-
rejurando facilè fidem facere possit. Quæ cum re-
cordor, magnam ex officio meo voluptatem ca-
pio: propterea, quod nihil unquam mihi grati a-
nimi memoriâ jucundius aut est, aut unquam erit.
Et, quanquam animum tuum nonnihil immuta-
tum Drusi verba significant; cum ego perpetui-
tatem

tatem amoris tui exspectaverim; eamq; tanti fecerim, ut ex omnibus rebus humanis nihil penè pluris æstimaverim: tamen, non ut animatus nunc in me sis, sed ut antea fueris. in omni mea vita iucundissimè cogitabo; quæq; in amicitia colenda à doctissimis viris constantiz tributa laus est, eam ut omnino consequar, enitar quantum in me erit: non quòd tua iustus cuiusquam hominis laudationem, vel tua fortuna cuiusquam opes, aut merita desideret: sed profectò apud sapientissimos homines quem ego te in numerum refero, significatio bonæ voluntatis, etiam si merita non habet, pro meritis tamen est. Te verò, Principem egregium, omniumq; virtutum apud omnes homines, maximeq; apud omnes Principes laude florentem, præterea istà ornatum dignitate, quæ ob omnem laudem, tacitâ quadam cohortatione videtur impellere, fignientis commoveri hominum improbissimorum, & alienis fortasse bonis invidentium, prorsus æquum non est. Quid enim? an ego tam pravus esse possim, ut optimo viro coner unquam in sermone detrudere? An tam stultus, ut, qui mihi multis rebus prodesse, multis etiam obesse possit, eum indignissimis laceßam injuriis? An tam ingratus, ut cuius erga me summam humanitatem, ac benignitatem senserim, de eo quidquam cogitem, aut etiam loquar iniquius? Quod honor meus? an apud me nullius est ponderis? Ille verò mihi vel ipsâ vitâ carior adhuc fuit, eritq; in posterum. Ita sum à puero educatus, ita natus; ita etiam didici ab exemplis majorum meorum. An igitur honor meus

tan-

tanta
omne
vitati
Quar
me ip
meo,
igitur
rarer
ta sur
liber
dine
vide
um h
laud
verit
liber
com
aliis
fuisse
potu
xeri
riari
isse
abu
afflu
nen
Hòc
liq
leve
qua
pau

tantam ferre posset inconstantiam? Ille certè cum omnes maculas, tum hanc, quæ turpissima est, levitatis, & intemperantiæ, respuit ac fornicat. Quare, si peccarem in te, magne Princeps, simul in me ipsum peccarem. Quorum alterum ab officio meo, alterum à voluntate nimis abhorreret. Quod igitur neq; committere debeo, neq; possum, id mirarer equidem à te credi; si planè, quæ ad me delata sunt, vera omnia putarem. Sed primum haud libenter id credo, quod injucunditatem, ac solitudinem affert animo meo; deinde, quod indignum videtur bonitate tuâ, quam ego, ut maximè omnium habeo cognitam, ita maximè omnium efferre laudibus, ubiq; soleo: postremò, quod cum ipsa veritate pugnat. Quòd autem, quiddam etiam de liberalitate mea gloriosè à me jactatum, iidem comminiscuntur: impudens mendacium est, ac, ne aliis utar argumentis, te ipso teste falsum. Nam, fuisse me tui perstudiosum, omnia tibi, tuisq; quæ potuerim, obsequia atq; officia perstitisse, verè dixeris, & multi sciunt: quò tamen ipse nomine gloriari non soleo: contentus ipsâ re sum: verum fuisse me, cui multa defunt, in te, qui cunctis rebus abundas, liberalem, & de meis rivulis penè aridis affluxisse aliquid ad tuos uberrimos fontes, certè nemo dixerit; nec, si quis diceret, ego agnoscerem. Hòc igitur unò, quod inanissimum esse constat, reliqua mihi objecta reselluntur. Patent insidiæ malevolorum: infirmatur, ut sæpe solet, à se ipsa, & suò quasi gladiò jugulatur improbitas. Itaque recreor paululum in acerbissima molestia: ut etiam hoc